PA 6393
.E8 L4
Copy 1

PA 6393
.E8 L4
Copy 1

DE HORATII EPISTULARUM LIBRI PRIMI SEXTA EIUSDEMQUE LIBRI DECIMA AB OTTONE RIBBECKIO NUPER PROLATAE SUNT OPINIONES (IN LIBRO „DES QUINTUS HOR. FL. EPISTELN U. S. W. BERLIN 1869)“ ITA EXAMINENTUR ET DIIUDICENTUR, UT UTRIUSQUE EPISTULAE PROPONATUR PLENA ENARRATIO IUSTAQUE EXPLICATIO, PRAEMITTANTUR AUTEM DE UNIVERSO GENERE SATIRARUM EPISTULARUMQUE HORATII PROLEGOMENA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

OTTO LEMCKE
WITTENBERGA - MARCHICUS.

82141

IENAE, 1874.
TYPIS BATII.

PA6393
.E8L4

Horatius postquam ex pugna apud Philippos commissa profugus atque adeo vix capitis periculi expers in Italiam revertit, et fundo paterno privatum se vidit, tum primum, ut versus faceret, se impulsum esse ipse prodit.[1]) Neque eum quidem, quoniam eo tempore adversa fortuna premebatur, acres iambos inprimis et mordaces satiras, quibus iram ex tristissima vitae suae conditione haustam effunderet, composuisse mirum non videtur.[2]) Ut autem in iambis Archilochum Graecum poëtam imitatus est, et Pariam hanc poësin primus Latio ostendit,[3]) ita in satira Lucilium secutus[4]) poesis genus vere Romanum et, quod quidem ad nomen attinet, perantiquum tractavit. Nam vetustissimis iam Romanorum temporibus apud Livium[5]) saturae mentio extat, et postea ab Ennio, Pacuvio, L. Pomponio, aliis satiras conscriptas esse memoriae traditur. Varronem quoque Reatinum eas, quae Menippeae dictae sunt, haud ita multo ante Horatium exarasse constat. Quorum omnium praeter Lucilium neminem Horatium imitandum sibi proposuisse scriptis eius docemur; immo solum Lucilium satiricae poesis auctorem et inventorem semper praedicasse videmus.

---

1) Franke Fasli Horatiani pag. 16, 17 sequ. — 20.
2) „ „ pag. 43.
3) Horatius ep. I 19, 23.
4) „ serm. I, 10, 65.
5) Livius VII, 2.

Quo autem iure fiere potuerit, ut illorum exemplum plane neglegendum esse, et hoc poesis genus Lucilio uni deberi censeret, nunc paucis demonstrabimus.

Satira enim vel satura breviter primum dicta est pro lance satura, quae referta multis variisque primitiis sacris Cereris inferebatur,[6]) deinde ad alias quoque res translata aliquid ex variis diversisque partibus mixtum denotat. Quin etiam ad res ingenio factas postea eadem vox est traducta. Nam lex multis aliis conferta legibus, id est lex multorum capitum, satura vocabatur[7]), tum denique eodem nomine, (ut ait Festus), genus quoddam carminum, in quibus de multis rebus disputabatur, sive, ut Diomedes, quae ex variis poëmatibus constabant, nominatum est.

Apparet igitur satirae hoc vocabulo tam longe lateque diffuso non simplicem nec certis finibus circumscriptam poesin, sed plures rebus et forma diversas Romanos amplexos esse. Itaque merito Lucilius ab Horatio non omnino satirae quidem, sed talis, qualis postea invaluit, inventor celebrari potuit[8]). Nam cum antea carmen quodvis variis rebus refertum mixtumque et fortasse multiplices quoque rhythmos continens saturae nomen haberet, (ita ut Varro antiquiores secutus atque adeo longius progrediens prosam quoque insereret), Lucilius poesin satiricam suam, quae maxima ex parte in diversis hominum moribus et studiis non modo describendis sed diiudicandis perstringendisque versabatur, primus ad regulam ab omnibus postea comprobatam redegit. Idemque poesi illi ad certum genus atque artem revocatae in Romanorum litteris sedem suam primus assignavit. Quod probat Diomedes[9]): „Satira dicitur carmen apud Roma-

---

6) Diomedes III pag. 483 Casaubonus: De Graecorum Satyra et de Romanorum satira pag. 252. Porphyrio ad Horatium Sat. I, 1.

7) Teuffel Literaturgeschichte pag. 31. ff.

8) Casaubonus pag. 213. de satyrica Graecorum poësi et Romanorum satira.

9) Diomedes III pag. 482 (Quintitian X, 1. 93) Teuffel pag. 31 ff.

nos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius, at olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius."

Atque etiam ipse Horatius:[10])

„Est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis."

Quo autem modo hoc poesis genus in notandis obiurgandisque hominibus vitiosis versatum sit, ex iis intelligendum est, quae alio loco profert Horatius:[11])

„Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poëtae
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur
Quod moechus foret aut sicarius aut alioquin
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus
Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,
Emunctae naris.[12])

Ad antiquae igitur comoediae Atticae exemplum haec poesis totam se applicavit. Quare extiterunt quoque, qui haec Horatii verba et illud Diomedis: „archaeae comoediae charactere" respicientes dicerent, satiram hanc eandem quam comoediam illam antiquam Atticam speciem prae se ferre, nec genere ab illa abhorrere. Sed errant, qui illud opinentur. Nam fieri non potest, ut antiqua comoedia Attica usquam restitui vel instaurari queat, quippe qua nullum poësis genus temporum et locorum legibus devinctius fuerit. Et omnino aliud est comicos imitari, aliud comoedias scribere. Nec minus falluntur, qui nomi-

10) Hor. Sat. II, 1, 62 ff.

11) Hor. Sat. I, 4. 1 sequ.

12) cf. praeterea Hor. Sat. I, 10, 14 sequ.

nis similitudine perducti ullam inter Romanorum satiricam poesin et Graecorum satyricam societatem intercedere statuant, ideoque satirae vocabulum per „y“ perscriptum velint. Quamquam enim in satira dramaticum quoddam, ut postea videbimus inesse potest, tamen hoc poesis genus adeo non, ut in scenam prodeat, ibique agatur, propositum sibi habet, ut depingendi tantum partes sibi arroget, atque, qua est vi ac natura, ad poësin, quae est una ethica et didactica, referri debet. Satyrica contra poësis, cui id maxime proprium est, ut in choro satyri saltantes, iocosque serentes inducantur, tota dramatica est. „Quid huius simile in satira[13])?“ „Sed nihil verbis opus: nemo enim Romanorum satiram cum Euripidis Cyclope comparabit, quin absurditatem eius sententiae statim agnoscat.“

Ullam igitur rem satirae Romanae cum Graecorum dramate satyrico unquam fuisse praefracte negandum est, sed Lucilii satiram cum comoedia Attica antiqua quamvis genere ab ea abhorrentem in nimium immoderata, (quam Graeci τὴν ἄγαν καὶ ἄκρατον παῤῥησίαν vocabant,) maledicendi libertate convenisse, Horatius versibus suis supra allatis demonstrare voluit. Ac re vera Lucilius et etiam Horatius in cavillatione, qua singulae personae perstringuntur, plurimi sunt, atque in singulorum hominum studiis perversis et vitiis carpendis proxime accedunt ad scriptores comoediae. Praeterea alterum quoddam huic satirae cum comoedia commune est; elocutionem dico quotidiano usui accomodatam, de qua Casaubonum conferre licet,[14]) et nos postea pauca disseremus. Quae cum ita sint, et quia Lucilius praeter alios Graecorum rhythmos praecipue dactylico uti coepit, statuendum est, eum hoc poesis genus in Latio natum atque ex Romanorum moribus ortum, ad Graecorum artem conformasse et quasi veste aliunde desumpta induisse, ita tamen ut in ea, quam Horatius iure protulit, sententia perseverandum

13) Casaubonus pag. 219.

14) Casaubonus pag. 216.

sit, auctorem „Graecis intacti carminis“[15]) illum fuisse. Pro certo enim est putandum, quamquam una et altera satira cum Graeco aliquo carmine interdum comparari potest, totum genus tamen posse nunquam, velut „silli“ societate quadam cum satira coniuncti eo differunt, quod toti in irridendo didactici, ut ita dicam, argumenti plane sunt expertes.

Postquam hoc modo in universum constituimus, qualis vis ac natura Lucilii et ita Horatii quoque satirae fuerit, ad diiudicandum, quid Horatius ipse de Lucilio censuerit,[16]) nunc accedamus, ut ita accuratius de ipsius, quae nobis tractanda est, satira certiores fiamus.

Iam primum quod attinet ad Horatii de Lucilio iudicium, quamquam illum ingenio et inveniendarum rerum copia praeter ceteros floruisse concessit, tamen quippe politioris et mitioris poësis auctor, artem elegantiorem ei abnegandam esse opinatus est. Sed hoc ei opprobrio vertens haud ita iuste facit, quia rude illud temporibus non homini tribuendum est. Atque idem ei exprobrat, quod Graecis verbis quasi ornamentis carmina sua exornaverit. Ne hac quidem in re recte iudicavit Horatius, quia plane diversis duabus de causis Lucilius Graeca illa verba adhibuit: primum videlicet ad illudendum aliorum ineptum morem inveterascentem, deinde ut ostenderet, quid scriptorum Graecorum legisset. Non sine iure contra illum vituperavit; quod versus „limae laborem“ metuens non perpolivit, sed quasi raptim scripsit. Omnino etiam confitendum est, prorsus fieri non potuisse, ut Horatius aequum iudicem se praestaret, quia, cum recentioris poësis rationis patronus extitisset, Lucilii poësin quasi obsoletam oppugnare eum oportebat. „Hunc igitur secutus est Horatius Flaccus unica inventionis laude illi minor in satira: ceteris rebus omnibus ipso melior et potior. Nam et saeculo politiore natus et ad id genus carminis ingenio naturaque fuit

15) Hor, Sat. I, 10, 66.

16) Hor. Sat. I, 4 et 10.

aptissimus. Dicacem enim et urbanum hominem atque εὐθικτου satira desiderat: qualem fuisse Horatium et vita et scripta manifestissime arguunt. Hic acceptam a Lucilio satiram partim incuria poetae horridiusculam politiorem fecit, convicia illius asperiora in sales et iocos γλυκυπίκρους mutavit; Graeca verba exclusit: satiramque heroico versui propriam asseruit, spretis metris aliis. In quo iudicium illius alii poetae confirmarunt, qui ad satiras scribendas postea animum appulerunt.“[17])

Sed nunc paulo accuratius satiricam Horatii poesin examinemus. Cuius non fragmenta solum, ut apud antiquiores huius generis poetas, sed satirae omnes integraeque nec ita male usque ad nostram aetatem sunt servatae. Ac primum quidem, quod ad res attinet, quae in iis tractantur, etiamsi non tam variae multiformesque sunt, quam apud Lucilium, et in privata tantum vita describenda continentur,[18]) tamen a molesta quadam simplicitate longissime recedunt, quia Horatius, ut erat acuto et versuto animo, omnia, quae modum excedebant, bene animadvertebat. Nam ut stupida multitudinis dementia et inconstantia, ita insipiens sapientia superbientis, istius, qui in verba magistri iurat, philosophi; ut contemnenda parasiti impudentia, ita nobilium heluatio et mollities; ut corporis voluptas, quae nulla lege coercetur, ita insanum lucri studium et aviditas una cum malis heredipetarum artibus; ut sordida avaritia, ita vesana luxuria; ut indomita honorum cupiditas, ita omnibus quasi obrepens nequitia; ut malignum reprehendendi obtrectandique studium, ita dura severitas atque iniquitas, quae in alios adhibetur; ut vana superstitio fallaciis nugisque plena, ita inepta et absurda eorum, quae in vita et arte consuetudinis longitudine quasi sancita sunt, admiratio; ut gloriae cupiditas, ita inane delectationis aucupium; ut culinaria sapientia, in qua homo subtilis palati se iactat, ita novi hominis

17) Casaubonus pag. 226 u. 227.

18) Teuffel Römische Litteraturgeschichte pag. 416.

fortuna forte locupletati insulsitas et ingenuo homine indigna illiberalitas, quae quamvis tecta et dissimulata saepissime elucet: omnia denique studia ridicula vel perversa tam apte, ut omnes habeant in se veritatis numeros, et pariter, quemadmodum bonum decet poetam, ad plenam ac perfectam speciem conformata depinguntur, ita ut homines in medium prolati non illius tantum aetatis, sed omnium temporum esse, et vel nostrae vitae quotidianae expressam imaginem edere videantur [19]). Accedit, quod poeta, prout res postulat, nunc nobiscum ratiocinatur, nunc simpliciter narrat; modo dialogi forma usus poetae scenici partes agere videtur, modo dicta, modo fabulas modo verba alicuius in alienam sententiam detorta immiscet [20]). Quae cum ita sint, tantum abest, ut poeta longus nobis videatur, ut semper delectatione nos alliciat et detineat.

Cumque mores temporum, in quibus vixit, non prorsus corrupti essent, eorumque cognatione Horatius maxime teneretur, non tam irae et minarum plenus in aequales invehitur, quam iis „ridendo dicere verum [21])“ sibi propositum habet. Nunquam morosus est, sed semper iucundum gratumque se praebet, etiamsi ficta quidem tantum neglegentia ambulare videatur. Interdum nunc callida insulsitate, tum contra tanquam inscius modo huic modo illi plagam iniicit, atque mirari se simulat, quid sit, quod omnes in se criminationes cumulent, iisque ipsum obruant.

Summa vero eius virtus in compositionis formaeque, cui antiquos plurimum tribuisse constat, pulchritudine posita est. Magna enim est disserendi subtilitas, magna elocutionis emendatissimae et elaboratissimae perspicuitas, magnus et numerorum et rerum tractandarum concentus consensusque. Optime neque ullo negotio nobis Horatii hexametrum cum aliorum poetarum, praecipue cum eorum, qui epici dicuntur, hexametro comparan-

19) Kirchner Ausgabe der Satiren pag. VIII et IX.

20) Pauly's Realencyclopaedie sub. tit. Horatius.

21) Hor. Sat. I, 1 24.,

tibus id intelligitur. Manifestum enim est, eum habitu suo tantum proprio fictum fuisse, atque numerorum quadam negligentia et debilitate aliisque rebus, quae heroici versus sonum et dignitatem ipsi detraherent, atque ad pedestrem orationem idoneum redderent, diversum fuisse. De quo Godofredus Hermannus in Elementis doctrinae metricae [22]): „Denique quarta forma est pedestris illa, cuius hoc proprium est, ut neque caesuram sibi propriam habeat, (quod in Horatium non quadrat,) neque alia lege teneatur, quam hac, ut tolerabilis quaedam species relinquatur versus heroici. Hic enim versus ab antiquis eodem modo, quo apud nos liberiores iambi, ad illud poesis genus adhiberi solebat, quod proximum est prosae orationi, ab eaque paene solo metro distat. Eodemque pertinent Horatii epistulae et magis etiam sermones. Aliquanto maior enim in epistulis elegantia est numerorum et concinnitas, quam in sermonibus, in quibus tantum, ne prosa oratio esse videatur, metrum adhibitum est."

Itaque iam illis temporibus Horatio ex aequalibus obtrectatores extiterunt, qui hanc versuum naturam reprehenderent, eosque artis expertes ac parum diligenter compositos esse dicerent [23]). Sed ne nostra quidem aetate (quod ex Hermanni verbis intelleximus) desunt, qui Horatii hexametrum praesertim in satiris prae heroico parum absolutum ac prope mancum esse putent, quia nulla sua lege vinctus nimia libertate quadam vel licentia incedat, ita ut parva tantum similitudo cum heroico relinquatur. Qua de re, qui recte vult iudicare, prorsus necesse est reputet, utrum poeta aut versibus bene faciendis impar aut desidia quadam commotus limaeque laborem, ut Lucilius olim, metuens nimium sibi indulserit, ideoque malos hexametros composuerit, an, (id quod nobis quidem persuasisssimum est), certam huius generis propriam legem secutus simulata quasi neglegentia

22) Elem. doctr. metr. pag. 353.

23) Hor. Sat. II, 1, 2 sq.

artificium suum obtexerit. In hanc sententiam iam Danielus Heinsius [24]) discessit et postea Carolus Morgenstern in dissertatione: De satirae atque epistulae Horatianae discrimine pag. 30 sequ. Et sane quidem Horatium regulas, quae in hexametris componendis observandae essent, penitus pernosse, vel inde colligi potest, quod in Epodorum libro eodem fere tempore conscripto hexametri rectissimi omnibusque numeris absoluti inveniuntur. Ergo etiamsi in posterioribus praecipue epistulis veluti in ea, quam ad Augustum [25]) misit, versus magis canori et numeri perfectiores extent, id non a poetae iudicio aetate demum emendato repetendum est, sed ex discrimine argumenti.

Quoniam enim satira, ut iam antea vidimus, in diversorum hominum moribus studiisque describendis et perstringendis posita est, et eam ob caussam in elocutione quotidiano usui accommodata cum comoedia convenit, eam regulam vel legem sibi proposuit Horatius, ut haec poesis numeris remotis nihil distaret a sermone quotidiano. Itaque Horatius hoc genus, quo in numero epistulas quoque refert, „sermones repentes per humum“ [26]) appellat et postulat ut poeta „parcentis viribus atque Extenuantis eas consulto“ [27]) vice fungatur. Inde sequitur, ad quam legem compositionis formam revocaverit. Quae fere haec est: ut quam maxime in humili scribendi genere imitando exprimatur atque effingatur numeris tantum adstrictus sermo quotidianus, qui quidem, quantum fieri possit, ea, quae eius propria sint, retineat, et numeris extenuatis omnem poeticam vim et gravitatem vitet, ut satiricum poetam non canentem sed loquentem audiamus. Restat igitur, ut paucis demonstremus, quibusnam rebus et qua via hanc quotidiani sermonis imitationem effecerit Horatius, et quomodo numeros imminuerit. Ac primum

24) De satira Horatiana pag. 7 ed Elzevir 1612.

25) ep. II, 1.

26) Hor. ep. II, 1, 250.

27) Hor. sat. I, 10, 13.

quidem eam imitationem invenimus in longioribus rhetoricis verborum comprehensionibus, quae una constructione cohaerentes per complures versus ita patent, ut versibus non evadant partes ex se ipsis aptae. Saepenumero in Horatii satiris (rarius in epistulis) unus idemque ambitus, verbis praeterea interpositis nonnunquam interruptus, nonnullorum versuum seriem amplectitur, versuum terminos nequaquam respiciens, id quod elocutionem a poesis vi ac natura abhorrentem reddit et sermoni communi propiorem. Deinde haec imitatio eo apparet, quod duo versus ad unum enuntiatum plane coalescunt vel particulis pronominibusque in versuum clausulis positis, vel verbo inter duos versus diviso.

Tum elisiones et ecthlipses, quas vocant, huc referendae sunt, quae et frequentissime et in particulis vel monosyllabis adhiberi solent. Atque etiam multo longius latiusque patet, quam apud alios poetas synicesis quae dicitur. Praeterea unius syllabae clausulae versui heroico haud ita usitatae afferendae sunt, quae non rarae in Horatii hexametro conspiciuntur. De omnibus his rebus, quibus apta et orationis et numerorum inaequalitas efficitur, conferre licet, quae Kirchnerus in satirarum editione in medium protulit pag. XXX—LXXIII.

Etiamsi igitur numerorum formam ipso initio, quo versus facere coepit, consulto et considerate sibi electam semper retinuisse in satiris Horatium videmus, fatendum tamen est, et ad compositionis formam et ad res aetatem ac mutata poetae studia vivendique rationes multum valuisse [28]). Constat enim inter omnes satiram libri primi secundam, quae omnium antiquissima est habenda [28b]), acerbissimam esse et procacissimam. Ex quo autem Horatius in Maecenatis consuetudinem ascitus, id quod extremo anno septingentesimo decimo sexto vel ineunte vere insequentis factum est, ac familiariter eo uti coepit, et vitae

---

28) Franke pag. 31 sequ.

28 b) Franke pag. 89.

eius conditio et animus haud parum immutabatur [29]). Jam vero cum fundo Sabino a Maecenate donatus omnibus angustiis liberatum se videret, animum eius adversa fortuna exacerbatum mitigari necesse erat. Quae mutatio adeo praecipue ex satiris elucet, ut certum discrimen inter primum et secundum earum librum statui possit. Apparet enim in libri primi prioribus potissimum satiris odium quasi erumpens, quamquam impetus, quibus in singulos invehitur Horatius, nusquam modum egrediuntur.

Secundus contra liber vel ob id ipsum perfectior evasit, quia tum temporis conscriptus est, cum a poetae animo tranquilliore ira odiumque plane abhorrebat [30]). Excellunt autem eius libri satirae inter ceteras etiam eo, quod variae personae introducuntur, earumque ore multa aptius et concinnius dicuntur, quam si ex sua persona scriptor dixisset. Neque solum dialogi forma Horatius sed etiam perfecta personarum imitatione usus dramatici paene poetae, quem omnium maxime hominum animos movere constat, vice functus est. Aut enim ipsum cum alio quopiam velut in prima cum Trebatio, in tertia cum Damasippo, in quarta cum Catio, in septima cum Davo, in octava cum Fundanio colloquentem, aut duas personas introductas velut in quinta Ulixem et Tiresiam, quod in animo habet poeta, proferentes, aut denique aliquem solum, ut in secunda Ofellum, enarrantem videmus.

Omnes vero personae quam aptissime electae sint, et quam bene partes sibi attributas, peragant Carolus Morgenstern docet, qui luculenter haec verba facit [31]).

„Vix prudentius a quoquam ius satirae defensurus responsum de malis carminibus petiisset satiricus quam a docto Trebatio iuris consulto? Bonum Ofellum de frugalitate sermo dece-

---

29) Franke pag. 33.

30) Hor. Sat. II, 1, 44.

31) De satirae atque epistulae Horatianae discrimine pag. 55.

bat: an nitidum Maecenatis commensalem decuisset? Nemo mehercle de omnium insania dissereret lepidius, quam quem omnes insanum non temere appellarent Damasippus; nec sapientiam culinariam istam doctius quisquam enuclearet Catio γαστρολόγῳ. Heredipetae autem Romani artem docendi personam quis sustinuisset non solum gravitate iocosius sed etiam munere ac conditione verius quam Tiresias vates, discendi quam Laertiades sine re male redux? Quum vero se ipsum aliorum castigatorem castigatione dignum vellet praebere: quemnam callidius introduxisset opertum latus scilicet nudantem quam illud, a quo non peius quidem intelligeretur, quam ab obtrectatorum turba amicum domino mancipium? Ridiculum denique beati Nasidieni convivium quis, quaeso, enarrasset maiore et fide et lepore quam Fundanius ille Nasidieni conviva idemque comicus."

Nemo igitur negabit satiras secundi libri prioribus perfectiores esse et differentiam temporum, quibus quisque satirarum liber a poeta scriptus est, plurimum ad id efficiendum valuisse. De temporibus autem, quibus satirae conscriptae sunt, optime edocemur accuratissima illa, quam Frankius scripsit, disputatione, quae inscribitur „Fasti Horatiani." Hic enim argumentis undique allatis satiras primi libri ab anno septingentesimo decimo tertio usque ad annum septingentesimum vigesimum compositas et singulatim editas esse demonstravit. Tunc omnes (prima novissime addita) in unum librum ac corpus esse redactas itaque dispositas a poeta, ut prima tantum excepta temporis ubique servaretur ordo. Secundi libri satirarum ab anno septingentesimo decimo nono usque ad septingentesimum vigesimum quartum conscriptarum syllogen eandem respicere in singulis satiris digerendis temporum seriem quam primi libri, non minus reddit probabile [32]).

Qui duo libri quo nomine appellandi sint, etiamnunc magna

---

32) Franke pag. 21—42, pag. 80: de libro primo pag. 82—108 de libro secundo pag. 109—122.

est inter doctos homines discrepantia. Scholiastae enim memoriae tradunt, Horatium ipsum sermones eos inscripsisse. Sed et satiras et epistulas poetam hoc uno nomine et comprehendisse et comprehendere potuisse, praeter locos quosdam *) vel eo manifestum est, quod hoc vocabulo omnino optimo iure unumquodque poesis genus ad quotidiani usus orationem conformatum et accomodatum denotari potest. Satirarum autem nomen, quamvis codices sermonum titulum exhibeant, vel per se aptum est. Praeterea satirae nomine ab Horatio ipso hoc poesis genus commemoratum invenimus [34]). Jam vero nonne Lucilius, ad cuius exemplum Horatius totum se applicavit, satiras, quae nominantur, conscripsit? Non Persii, simiae Horatii, poesis satirica et est et ab omnibus habetur?

Amplectuntur contra simili modo satirarum nomine antiquiores et ii, quibus fides habenda est, auctores una et satiras et epistulas. Quintilianus [35]) enim Horatium nil nisi iambos, carmina lyrica, satiras sine ulla epistularum mentione composuisse narrat. Atque Suetonius cum in Horatii vita „eum habitu corporis brevem fuisse atque obesum, qualis et a semet ipso in satiris describatur," prodit, epistulam primi libri vigesimam et quartam in animo habet. Eadem appellatione Sidonius Apollinaris [36]) utrumque corpus, quamvis peculiaris utriusque tituli non inscius, complectitur: „Non quod per satiras, epistularum sermonumque sales, novumque epodon, libros carminis ac poeticam artem . . . . . voluit sonare Flaccus." Eadem est haec distinctio, quam a poeta ipso profectam esse, scholiastae nostri dicunt. Porphyrion [37]) nempe: „quamvis satiram esse

---

33) Hor. ep. II, 1, 251 u. V. 4 sat. I, 4, 42 ep. II, 2, 59 ep. I. 4, 1. cf. Ribbeck pag. 79.

34) Hor. sat. II, 1, 1 u. II, 6, 17.

35) X, 1, 93 ff. cf. Ribbeck pag. 80, Franke pag. 70.

36) carm. IX, 223.

37) ad satiram I, 1, 1.

opus hoc suum Horatius ipse confiteatur (Sat. II, 1), tamen proprios titulos ei voluit accommodare, hos priores duos libros sermonum posteriores epistularum inscribens.

Quae cum ita sint, satis explorari nequit, quo nomine Horatius duorum priorum librorum eclogas appellaverit, utrum sermones an satiras inscripserit, (quae quidem res nullius quoque momenti est); sed verisimillimum, eum duorum aliorum librorum eclogis epistularum titulum ex ipsa re desumptum, quia ad absentes amicos missae sunt, tribuisse. Omnibus vero iam ex his, quae de titulis diximus, nullo negotio liquere necesse est, et satiras et epistulas cognatione quadam coniunctas esse. Atque adeo extiterunt, qui ullum inter satiras et epistulas esse discrimen praefracte negarent, ut Casaubonus, Weichertus aliique. In contrariam vero sententiam nonnulli alii discesserunt, ut Kirchnerus et Morgenstern. Hac in re autem, ut ubique, ii, qui medium quendam cursum tenebant, a veritate minime aberrabant. Est enim multum commune, nonnihil diversi in satiris et epistulis. Ac primum quidem formae discrimen manifestum est, unde omnia alia tanquam ex fonte derivari possunt.

Sed operae pretium est paullo accuratius de epistulis Horatii poeticis seorsim disserere, ut de earum universo genere et de necessitudine, quae inter eas et satiras intercedat, certiores fiamus.

Jam rerum natura docet epistularum poeticarum argumentorum varietatem tantam esse quantam vulgarium epistularum neque ullis aliis terminis coerceri, nisi qui poeticae arti omnino constituti sunt. Itaque apud Horatium quoque non unam tantum epistularum speciem invenimus, sed duae discernendae sunt, quarum una familiaris, altera didactici est argumenti. In familiarium epistularum numero referendae sunt tertia ad Julium Florum missa, qua Horatius de absentibus amicis, quid agant, sciscitatur, quarta ad Albium Tibullum, quinta ad Torquatum, quos, ut apud se deversentur, invitat, tum epistolium ad Celsum Albinovanum, in qua se parum corpore valere nuntiat, ex eoque

senectute praemature appropinquante et infirma valetudine excitata morositas elucet. Accedunt epistula nona ad Tiberium Neronem et duodecima ad Iccium commendaticiae, undecima ad Bullatium, cui Roma vel Italia interdictum esse verisimillimum est, quemque ob eam rem maerore affectum per hasce litteras consolatur; decima quinta, in qua ex Numonio Vala quaerit, qualia sint loca, in quae valetudinis causa se conferre in animo habet; denique decima tertia ad Vinium Asellam data, cui, quomodo Augusto carmina ab ipso composita reddat, praescribit. Omnes hae per certam occasionem scriptae missaeque epistulae ita comparatae sunt, ut ad earum, quae re vera et sunt litterae et ab omnibus habentur, formam proxime accedant, atque longius quam didacticae recedant a satiris, quamquam communis cum illis generis esse negandum non est. Optimo enim iure in has quoque epistulas satirae nomen quadrat, quia eius notione, qua est praecipue apud antiquiores amplitudine, unumquodque varium et mixtum poesis genus comprehenditur, medias quasi partes inter prosam orationem et poesin obtinens. Neque quemquam fugiet ludibrium quoddam facetum ex iisdem emicare et levem cavillationem, quae maxime apparet in epistula decima quinta (v. 26 sequ.) et decima tertia (v. 14 sequ.), ubi Maenius et Pyrrhia notantur. Praeterea per omnes omnino hasce epistulas ironia quaedam a satirarum scriptoris animo consilioque non abhorrens perfusa est, quam poeta pariter in se atque in amicos adhibet. Jam vero non deest ista morum et ipsius poetae et eorum, ad quos singulae quaeque epistulae datae sunt, et denique eorum, qui in iis in medium proferuntur, descriptio eaque ita comparata, ut sit una et grata et idonea. Non igitur hae per certam occasionem scriptae epistulae, quamvis specie a satira diversae, ita ab ea discrepant, ut non eiusdem generis notiones et in animi affectione, qua poeta in iis componendis utatur, et in ipsis rebus, quae tractentur, serventur et perspiciantur.

Altera vero epistularum species didactici est argumenti, et

illae ipsae sunt apud Horatium gravissimae maximique momenti et dignae, quae familiaris argumenti epistoliis pluris aestimentur. Qua in specie rerum, quae tractantur, discrimine statim nova efficitur distinctio. Ethicae enim discernuntur epistulae, in quibus maxima ex parte de philosophia et de bene vivendi arte disseritur, et criticae, in quibus de poeticis litteris earumque studio disputatur, velut in uberrimis illis libri secundi ad Augustum et ad Florum scriptis atque in „Arte poetica" ad Pisones missa.

Hae igitur didactici argumenti epistulae, praecipue ethicae, magna necessitudine cum satira coniunctae sunt. Utriusque enim poesis ethica et didactica ratio naturaque propria est, ita tamen, ut in epistulis ad docendum potissimum ac praecipiendum ad monendum atque exhortandum compositis didactica vis, in satiris ad carpendos homines, ridendos, increpandos conscriptis morum descriptio et castigatio primas obtineat partes. Apparet, ut ait Carolus Morgenstern[38]), in satiris risor facetus, in epistulis comis morum magister. Quod cum ex aliis rebus tum inde potissimum intelligitur, quod in satiris saepissime singuli nec raro vivi nominatim perstringuntur, in epistulis interdum singuli quidem notantur, sed rarissime vivi, neque unquam aperte. Cuius discriminis causam ex aetatis, intra quam utrumque corpus perfectum sit, differentia atque ex immutatis poetae studiis et animi affectionibus vivendique rationibus repetendam esse, Horatius ipse docet. In prima enim epistula, quae toti libro prooemii loco addita est, et propterea de universo huius poesis genere, quale fuerit, et de poetae consilio nos quodammodo edocet, Horatius affirmat totum se versari in philosophia, atque carmina lyrica componere desiisse (v. 4 sequ.). Non sibi eandem esse aetatem et mentem atque antea, ludicras illas res se non iam decere, unice curare, quid sit verum atque decens (v. 11 sequ.). Quamobrem in epistulis praecepta philosophica, quae

38) Theses No. 1.

ad vitam vere beatam efficiendam vehementer pertinent, amicis saepissime traduntur, in satiris rarissime, itaque, ut semper fere tecta et satirico sale quasi condita et perfusa sint. Quod si Frankius [39]) epistolicam hanc poesin tertium perfectionis gradum in humili illo Horatii genere obtinere statuit, atque eadem ratione a sermonibus sua forma differre iisque praestare, qua dramatica librum satirarum secundum a priore, huius sententiam sine ulla dubitatione comprobandam esse censeo, dummodo epistulas didactici argumenti respiciamus, neve illas per certam occasionem scriptas admisceamus. Illae enim interdum eiusmodi sunt, ut re vera Horatius eos, ad quos datae sunt, nonnisi certiores facere voluerit, si quid esset, quod eos scire aut sua aut ipsorum interesset. Sed ne philosophicas quidem illas, quamquam una et altera satirae simillima est eiusdemque generis, prorsus cum ea convenire ego crediderim, quia semper speciei quaedam differentia ex epistolica forma profecta relinquitur. Quae cum in omnibus omnino epistulis servetur necesse sit, in Horatianis quoque fieri non potuit, quin retineretur. Quem ad modum enim non inscriptam solum alicui personae esse epistulam sed per totam etiam epistulam eius rationem haberi consentaneum est, ita hanc quoque notam maxime necessariam in Horatii epistolica poesi apparere naturae est conveniens. Inde sequitur ab Horatio in epistulis scribendis orationem primum omnino ad eius, ad quem daretur, conditionem, tum ad peculiarem, quae inter poetam et illum, cui scriberetur, intercederet, rationem conformari oportuisse. Qua in nota praecipuum discrimen inter epistulas et satiras positum, et in omnibus epistulis peculiarem hanc rationem observatam esse contendo. Sane quidem concedo, permulta nos fugere, ex quibus, qualis ratio illa fuerit, cognoscatur. Atque adeo fatendum est fore, ut nunquam de his, quippe quae haud dubie saepius ex intima amicorum familiaritate pendeant, satis edoceri et erudiri

39) pag. 71.

possimus. Itaque penitus animis nostris mentibusque mandandum est, quam multa nos in hoc poesis genere latere necesse sit, atque eam ob rem hac in re magis, quam alioquin, cavendum, ne, si quid tectius et obscurius nos offendat, ad falsas certisque documentis destitutas coniecturas refugiamus[40]).

In eo autem, quod posui, semper in epistulis Horatianis rationem quandam eius, ad quem quaeque missa est, habitam esse perseverandum censeo, quaecunque ad id infirmandum et diluendum afferuntur ac iam allata sunt. Nam si qui dicant, manifestum esse et inter omnes constare epistulam decimam tertiam ad Vinium Asellam, decimam quartam ad vilicum non, ad quos essent scriptae, re vera datas esse, et quasi fictas: iis respondendum est, nihil omnino referre, utrum personae, ad quas epistulae scriptae sunt, vixerint necne, vixerint modo in poetae mente et ita effictae, ut omnes in se habeant numeros veritatis. Personarum, quae ita conformatae sunt, Horatium in epistulis eodem modo ac vere germanarum rationem habere potuisse, quis est quin concedat? Idem, quod modo probavimus, valet quoque de epistula vigesima, quae data est ad eum, qui nullus est, nempe ad librum. Praeterea si nonnullas epistulas, quae proprie singulis scriptae sunt, ita tractatas et temperatas esse invenimus, ut omnibus promiscue lectoribus scriptae esse videantur, illud iis non vitio sed laudi vertendum est, quia didactica haec poesis, quamquam singulis semper certisque personis praecepta sua demandat, tamen id maxime agit, ut quam plurimis docendo prosit. Quod nisi poetae consilium fuisset, cur tandem totum epistularum librum postea pervulgavit, cur ante totius libri editionem singulas cum amicis communicavit, (id quod ex verbis epistulae vigesimae apparet, ep. I 20 4)?

Quin etiam vel ipso initio, quo eas composuit, amicorum urbano illi, in quo versabatur, circulo destinatas esse, inde intel-

40) cf. Ribbeck pag. 81.

ligitur, quod Augusti laudes nonnullis locis[41]) intextae sunt.

Quae quamquam ita se habent, tamen ne ad Maecenatem quidem datas epistulas satiris Maecenati dedicatis plane esse exaequatas contendere ausim, quia utrisque quamvis externa quoque forma paene paribus proprium quoddam quasi reservatum manet. Quod ut in omnibus fere epistulis ita in his praecipue Wielandius[42]) et Carolus Morgenstern magna et interdum nimia cum subtilitate enucleaverunt indagaveruntque; ultro autem id elucet ex septima epistula.

Circumspectis omnibus rebus rationibusque subductis, mihi quidem persuasum est, epistulas cum satiris genere plane coniunctas, specie magis vel minus ab illis diversas esse. Atque idem illorum sententiam laudo et comprobo, qui „aliquanto maiorem in epistulis elegantiam numerorum et concinnitatem quam in sermonibus[43])“ „perfectiorem elocutionem, severiorem argumentorum delectum, altiorem denique tractationis dignitatem eamque poetae ingenio, menti, aetati consentaneam[44]) agnoscunt.

In temporibus, quibus haec Horatii poemata conscripta sunt, in universum definiendis, Frankium, cuius argumentationi hac in re summa fides habenda est, si rursus, ut decet, sequemur ducem, statuemus epistulas primi libri ab anno u. c. septingentesimo trigesimo usque ad VI Idus Dec. anni septingentesimi trigesimi quarti confectas esse[45]). Singulas ante totius libri editionem cum amicis, quorum in urbano circulo Horatius vixit, communicatas esse, iam supra commemoravimus, sed in corpus redactas et ante diem Horatii natalem anni u. c. 734 evulgatas esse ex vigesima epilogi loco addita coniicitur[46]). Etsi autem

41) Hor. ep. I, 3, 7. I, 5, 9. I. 12, 25. I, 13. I, 16, 27. I, 18, 56. I, 19, 43.

42) In seiner Uebersetzung der Episteln.

43) Godfr. Herm. Elem. doctr. metr. pag. 353.

44) Franke pag. 73.

45) Franke pag. 69—75, pag. 80.

46) Franke pag. 198—206.

singulae epistulae certis temporum indiciis carent, neque temporum in iis digerendis, ut in satiris, sed argumentorum rationem habitam esse fatendum est, tamen nullam libri primi epistulam ne duodecimam quidem, quam Ribbeckius [47]) anno septingentesimo trigesimo quinto assignavit, post totius libri editionem compositam esse credo. Immo Frankio assentior, qui et hanc anno 734 annumeravit, et omnino omnes, quae nunc primo libro continentur, iam tum. cum Horatius volumen illud ederet, in eo extitisse ipso poeta duce verisimillimum esse contendit. Secundi libri epistulae quo anno scriptae et evulgatae sint, nihil certi cognitum atque exploratum habemus, praeterquam quod primo iam edito et post carmen saeculare exaratae videntur esse. Ne hoc quidem est disceptandum, utrum omnino ab Horatio ipso alter liber editus sit, an post obitum demum poetae in lucem prodierit [48]). Atque vel etiam magis lubricum atque incertum est, quod de „Arte poetica" scimus, ne dicam, nescimus. Valde enim id ipsum dubium est, num „Ars poetica" ad posteriorem epistularum librum referenda sit. Quintilianus [49]) quidem, testis ille locupletissimus, librum de „Arte poetica" separatim laudat, et ex scholiastarum annotationibus colligendum est, illius poematis sedem in codicibus ab epistulis seiunctam fuisse, ut nunc etiam in Leidensi, Reginensi, Parisino. Atque adeo Frankii animus magis eo inclinat, ut arbitretur, non extremis poetae annis sed vigenti aetati „Artem poeticam" adscribendam esse.

In hac epistolica poesi utrum Horatius exemplum alicuius secutus sit, an hanc formam ipse primus invenerit, nunc paucis absolvamus. Versibus inclusae epistulae ad amicos datae iam prius apud Graecos in usu fuisse videntur, quales Catullus in elegia ad Allium quendam imitatus est, atque centum annis ante

47) Ribbeck. ep. pag. 84.

48) Franke pag. 77, Ribbeck. pag. 88.

49) VIII, 3, 60.

Horatium a Mummio poeticas epistulas compositas esse memoriae [50]) traditum est. Ergo Horatius hanc formam non invenit quidem, sed quodammodo novum epistularum poeticarum genus condidit, quia argumenta longe diversa iis inseruit. Antea enim non reperiuntur grata illa sapientiae et bene vivendi praecepta epistolica forma quasi involucro induta.

His de universo genere satirarum epistularumque Horatii propositis, nunc ad ea, quae nobis de sexta et decima libri primi epistula dicenda sunt, transeamus, et primum quidem plenam sextae ad Numicium datae enarrationem proferemus, quae haec fere est:

Hominum vita vere beata, Numici, si ulla re continetur, posita est in „nil admirando". Homines, qui quidem sempiterna beatitudine frui volunt, nihil debent admirari, id est nunquam iis, quaecunque sunt et fiunt in rerum natura, ita commoveri, ut aut appetant aut timeant, sed omnes res tanti modo, quantum iis re vera tribuendum est, aestimare debent. Jam docti quidem homines caelestia, insolita ipsa, ut solis lunaeque defectus, sine ullo timore contemplantur, et tu, Numici, terrae et maris munera, quae unice luxuriae inserviunt, ut aurum, argentum, marmor, margaritas, purpuram pro nihilo putas: idem et de aura populari et de honoribus, quos plurimi tantopere admirantur, iudicandum est. Nam ii, qui in his rebus, ne ferant repulsam, timent, ii eodem plane modo admirantur, et omnino in eodem loco sunt, atque ii, qui illas appetunt. Semper enim et cum admirando et cum appetendo timor est aeque coniunctus, quia, quodcunque repente et ex improviso accidit, mentem et eius,

50) Cicero, ad Atticum XIII, 6, 4.

qui appetit, et illius, qui admiratur, aeque de loco suo ita demovet, ut neuter tranquillo animo esse possit. Laetitia et dolor, cupiditas et metus plane eandem animi affectionem efficiunt in iis hominibus, (atque ita omnes a natura comparati sunt.) qui et, si res ex sententia prospere procedant, et, si non succedant, in admirationem illam omnem modum excedentem coniiciantur. In omnibus autem rebus modus adhibendus est, quoniam ipsius virtutis nimis ardens studium, tantum abest, ut fructus fundat, ut obsit, maleque hominibus eveniat. Quod si de virtutis nimio studio valet, quanto magis de rebus multo minoris momenti? Perversum igitur est toto ex animo appetere artificia, ornamenta, res pretiosas, eloquentiae laudem, divitias: quas si consequi vis, in foro negotii gerens quasi domicilium ac sedem tuam colloca, ne Mutus ille, obscuro loco natus, coniugis dote forte locupletatus tuam moveat et habeat admirationem. Hae omnes cupiditates et immoderata studia vana et inania sunt. Ut enim omnia abscondita tempore in lucem proferuntur, omnia vero nitentia tempore in obscurum et occultum relabuntur, ut igitur in temporum cursu perpetua est vicissitudo, ita omnium externorum bonorum aeterna et sempiterna est commutatio. Hoc noli unquam oblivisci. Omnia enim gloria, divitiae, denique quaecunque comparantur: — unumquemque hominem utique mori necesse est, atque mortuum omnia relinquere. Licet te viventem in via Appia nemo non admiratus sit, tamen restat, ut aliud iter ingrediaris in sepulcrum vel ad inferos.

Versu vigesimo octavo et insequentibus usque ad trigesimum primum transitio ad alteram epistulae partem continetur. In priore demonstratum erat: Ne quid admiraretur homo, ne ad externa bona aliqua cupiditate ferretur, quoniam omnia omittenda essent, simulac mors semper hominibus imminens eum oppressisset. A mortis imagine poetam facile nulloque negotio ad morbi imaginem traduci, quis est quin concedat? Pergit igitur: Qui aegrotant, inquit, medicinam, ut corporis morbo liberentur, adhibent. Atqui illud „admirari“ in animi morborum

numero referendum est, hominesque, quominus vitae felicitate fruantur, vel maxime impedit. Virtus una vitam vere beatam reddit, hanc igitur unice sectare omnibus aliis rebus omissis. Sed fingamus, nullo in pretio virtutem tibi esse, et cassum atque inane quiddam videri, tum sane quidem alia, quae vulgo bona esse putantur, tibi sunt expetenda. Quodsi omnia ad utilitatem, quam percipere possis, revoces, summum studium et omnis opera in divitiis corradendis tibi collocanda est. Nempe pecunia, quae a vulgo tanquam regina et omnium rerum dominatrix colitur et praedicatur, multa tibi commoda condonare et largiri potest. Efficit enim, ut uxorem magna dote praeditam in matrimonium ducas, ut magna fides tibi habeatur, ut multis utaris amicis, ut ipse, quamvis infimo loco ortus, nobili loco natus et, quamvis deformis, pulcher et venustus esse puteris, ut denique omni omnino decore praeter ceteros floreas. Quid refert, num rex Cappadocum multos habeat servos, cum nullam habeat pecuniam? Illi ut par fias, noli operam dare, sed bellum Luculli exemplum imitandum tibi proponendum est, qui ne scivit quidem, quantum haberet, (ut docet lepida illa, quam profert, Horatius, historia). Omnino autem illa demum domus digna est, quae dives appelletur, ubi multa et redundant, et dominum fugiunt, et furibus prosunt. Quodsi, quid haec poetae verba ironia maxime perfusa sibi velint, enucleamus, mihi quidem videtur, hoc in iis quasi inclusum latere: Perversissime facere eum, qui in divitiis acquirendis collocet operam; homines enim ita comparatos esse, ut, quo plus habeant, eo etiam plus comparare velint (cf. v. 45), ita ut nunquam curarum et laborum remissio appareat (cf. v. 48). Atque adeo si quis re vera tam infinitas, ut olim Lucullus, opes consecutus esset, quid eum iuvaret, quoniam ipse quidem nesciret, quantum haberet, et ipse minimum ex iis perciperet fructum, sed alii velut servi furaces, ita ut magis aliis quam sibi labores suscepisse videretur? Cui sententiarum ordini conclusio subiecta est haec: „Ergo,

Si res sola potest facere et servare beatum;“

„Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas".

Quibus in versibus ironiae vis ad ipsam **parodiam** augetur. Sunt enim haec verba manifesta parodia primi et secundi huius epistulae versus. Nam cum verbo „rei" multae et diversae subiectae sint significationes, cumque epistulae initio dictum sit, nullam aliam rem nisi illud nihil admirari homines beatos facere et servare posse, hic, quae initio dicta sunt, ridicule et iocose ita sunt inversa, ut sententia efficiatur haec: Itaque si res (nempe familiares) unice homines beatos facere et servare possunt, tum omnium, qui, ut pecunias sibi comparent, enixe contendunt, primus esto, et omnium, qui ab ea re desistunt, ultimus, omnino omnium ultimus. Quam in partem haec Horatii verba accipienda sint, ex iis, quae attulimus, non iam dubium esse potest.

Sin autem neque virtus, neque divitiae sed auctoritas et honores vitae felicitatem efficiunt, age, omnibus viribus id contendamus et enitamur. Mercemur nomenclatorem, qui nosmet moneat, cui dextra porrigenda sit, ut id quam citissime fiat, etiamsi nonnunquam corporis aequilibrio extrusi in cadendi periculum deveniamus. Hic atque ille, quamquam infimo loco natus, comiter salutandus est, ut eorum suffragio adiuvemur. Ergo versibus, (49—55), ni fallor, haec subiecta est ratio leniter operta: In honoribus quoque ambiendis multas esse perferendas molestias [51]); quare in iis vitae felicitatem non esse quaerendam.

Sin autem „bene vivere" ex corporis, praecipue epularum, voluptate repetendum esse censes, tum ventri deditus vivas, et omnia ei iucunda grataque undique conquiras. Venandi studio, ut olim Gargilius, omnium risum moveas, intemperantia, quippe qui unice corporis voluptati indulgeas, valetudinem neglegas atque perdas, immemor, quid te deceat, indignus, qui sis liber

---

51) Has molestias enumerat Mamertinus ita: Ediscenda omnium nomina; tributim omnes atque etiam singuli salutandi; prehensendae obviorum manus; omnibus arridendum, non solum cum infimis sed etiam cum ignotis familiaritatis imago simulanda.

et ingenuus Romae civis, denique omnem humanitatem exuens. His igitur versibus luculenter demonstratur, fieri non posse, ut ex corporis voluptate, qua hominum animi ad turpia et sordida studia abiiciantur ac prosternantur, vitae felicitas pendeat.

Si denique ad amorem iocosque omnem vitae iucunditatem revocas, ad hanc, quam tibi proposuisti, legem vitam tuam plane conformes. Atque hoc praeceptum totius epistulae peroratio quasi abrupte adiuncta excipit:

„Vive vale. Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum",

quae nos iure offendere posset, si nobis cum philosopho res esset, neque cum poeta atque cum eo, qualis est Horatius, qui lectores requirit, qui nonnulla sibi divinanda relinqui ament. Itaque mihi quidem versibus 65 et 66 Horatius hoc exprimere voluisse videtur: Tu, Numici, atque omnes, qui hanc epistulam legunt, non ignorant, vitae felicitatem non in corporis amore iocisque consistere posse, quia libido corpus enervet, et bonam valetudinem labefactet evertatque. Atque ipse Mimnermus, quem huius placiti auctorem Horatius laudat, vitam suam ad hoc praeceptum conformatam semperne degit beatam [25])? Nonne notum est eum sexaginta aut plures annos natum formosae tibicinae amore flagrasse, quae quidem poetae amori suo amore non responderet, ita ut animi doloribus nequaquam vacaret? Quae cum ita sint, in alterae epistulae parte Horatius idem, quod in priore, probasse mihi quidem videtur: nihil aliud nisi virtutem hominum vitam vere beatam reddere, atque eam pendere ex illo nil admirando. Quamquam enim ea, quam quisque ad bene vivendum sibi constituerit, regula ut constantissime servetur, commendat, sive eam in divitiis, sive in honoribus, sive in corporis voluptate, sive in amore iocisque sitam esse censet, tamen cum his externis bonis tantas molestias esse coniunctas docet, ut in iis vitae felicitas versari

52) Wieland Uebersetzung pag. 144. Leipzig 1790.

nequeat, sed una in virtute. Quare opinor epistulam a poeta concludi in hanc sententiam: Equidem a partibus eius, qui, ne quid homines admirentur, praescribat, sto semperque stabo. Tu contra, si quid rectius cognoveris, ingenue confitere et mecum communica; si non, ad meum praeceptum plane conforma vitam tuam.

Sed ut hanc, quam attulimus, enarrationem fulciamus et confirmemus, iusta huius epistulae explicatione opus est, ad quam nunc transibimus.

Data est epistula ad Numicium quendam hominem prorsus ignotum. Sed eum Horatii amicum natu minorem fuisse verisimillimum est, quia epistula permultas continet admonitiones. Ex qua cum de Numicii indole moribusque nihil certi explorari posset, nonnulli eam sine ulla peculiari ratione eius, ad quem mitteretur, conscriptam censuerunt. At facere non possum, quin credam, Horatium, „qui nihil inepte molitur [53])“, huius argumenti epistulam non ad quemvis fuisse missurum, neque primariam epistularum legem, ut ratio quaedam haberetur eius, cui scriberetur, observaturum. Neque tamen idem Wielandio consentire possum aut comprobare, quae ille oculis plus quam Lynceis vidit, quia, quae profert, certis documentis plane sunt destituta; quamquam non omni ex parte negandum est, fieri non potuisse, ut Numicii indoles moresque revera ii fuerint, quales Wielandius sola coniectura finxit. Coniecturis autem in his rebus nos nihil consequi posse, libere et ingenue fatendum est, atque satis est demonstrasse, nos hic in eo loco esse, in quo multa nos necessario latere iam supra commonuimus [54]).

Propter versum vigesimum sextum epistulam post annum 729 conscriptam necesse est.

V. I. Nil admirari. Plato et Aristoteles [55]) quum ex

53) Morgenstern pag. 69—76.

54) Franke pag. 204.

55) Theäthet pag. 155 D. Metaphysik I, 2

admirando omnem philosophiam ortam esse affirmant, non hanc, quam Horatius, dicunt admirationem, sed illam, quae nos incitat ad rerum causas investigandas. Longe autem diversum est Horatianum illud „nil admirari“ quod a Pythagora originem traxisse Plutarchus de audiendio cap. 13 his verbis prodit. (Pythagoras) ἐκ φιλοσοφίας ἔφησεν αὐτῷ περιγεγονέναι τὸ μηδὲν θαυμάζειν. Atque etiam et Stoicorum et Epicureorum idem illud placitum „τὸ μηδὲν θαυμάζειν“ proprium fuisse fertur, et ita accipiendum, ut haec fere insit vis ac ratio: Ne unquam homines aliqua re, quaecunque sit, ita perturbentur, ut animi tranquillitatem perdant, sed omnes res tanti modo, quanti re vera sint, faciant; ne omnino aliqua cupiditate ad ullam rem ferantur, vel aliquid appetant Hanc significationem Horatiano illi praecepto subiectam esse, memoria tenendum est, ne totius epistulae argumentum, quid sibi velit, nos fugiat.

una solaque. compositio haec non pro Graecismo velut „εἷς καὶ μόνος“ ducenda est, sed hac geminatione vim enunciationis augeri statuendum est.

V. 3 hunc solem. Baxter „hunc“ explicat: verendum. Orelli: δεικτικῶς „quem omnes admiramur;“ sed simpliciter: solem, quem omnes quotidie oculis nostris spectamus.

hunc solem — imbuti spectent. Hoc enunciatum Horatius ut factum praemittit, cui comparationem adiungit, ex qua haec efficitur conclusio: Item homines se gerant in externis bonis ut divitiis, honoribus, aestimandis.

certis momentis. Orellius: motibus semper aequalibus circuitu fixo, (nach bestimmten Bewegungsgesetzen). Sed tres, quas ille simul profert, explicationes, tres notiones continent diversas, neque unquam momentum et motus eiusdem sunt significationis. Momentum enim primum id est, quod in trutina momentum facit[56]), quod efficit, ut librae examen in unam quandam partem inclinet. Deinde momentum est id, quod om-

56) Cic. de offic. III, 3. 2.

nino multum valet ad aliquam rem. In aliam partem notio, quae subest verbo momenti, eo inflectitur, quod momentum examinis palpitatione subito efficitur, itaque idem illud verbum temporis puncti significationem assequitur. Sunt igitur momenta temporis puncta, intra quae aliquid fit, et „decedentia certis tempora momentis“ quaecunque fiunt de coelo et definita sunt cursu siderum, quae certis temporis punctis cursum suum conficiunt cf. ep. I, 10, 16.

decedentia: ex aliquo loco decedere et alii locum cedere.

V. 5 spectent. Quoniam „spectare“ hic eandem fere, quam admirari, habet vim, hic non simpliciter coelestia, quae nullius movent admirationem, sed insolita caelestia, ut solis lunaeque defectus, fulgura, tonitrua aliaque μετέωρα intelligenda sunt.

V. 7 ludicra. Etsi ludicra interdum apud Livium pro ludis publicis, circensibus et gladiatoriis, extare invenimus, tamen hoc loco hanc, quae antea omnium habebat assensum, interpretationem comprobare nequeo. Quid enim? Num putandum est, ludos publicos et plausus atque honores consimilem, ut necesse est, efficere notionem nedum eandem? Deinde homines sane quidem ludos admirari possunt iisque commoveri; sed per totam hanc epistulam in admirando alia quaedam vis inest, quae plane fere cum expetendi vi convenit. Atqui nunquam ludi ita expetuntur, uti expetuntur divitiae, plausus, quorum in possessionem homines pervenire student. Non igitur hoc loco „ludicra“ pro ludis posita, sed aliam explicationis rationem ineundam esse puto. Atque Hauptii quidem sequor interpretationem, qui ita interpungit:

„Quid censes munera terrae
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
Ludicra“

Tum illud „ludrica“ scilicet „sunt“ vel „esse censes“ iudicii cuiusdam interpositi locum obtinet; et verborum sententia satis est bona et aptior quam Vossii, qui („Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos Ludicra?“) interpungens

„ludicra maris munera“ (des Meeres Spieltand) connectit. plausus et amici dona Quiritis. Haec verba uni et alteri magis temporibus liberae rei publicae accomodata esse videantur, neque illi rerum statui, qualis tunc erat. Maxima enim ex parte honores ab Augusto ipso, penes quem summa erat omnium rerum, mandatos esse scimus. Sed in memoriam nostram revocemus necesse est, Augustum, qua esset eximia rerum civilium peritia, nihil antiquius habuisse, quam ut simulata liberae rei publicae species servaretur. Atque adeo Suetonius [57]), eum „ad speciem certe comitiorum pristinum ius reduxisse“, memoriae tradit.

Neque silentio praetereundum est, veteres liberae rei publicae recordationes mansisse [58]) praecipue in poesi, quae ex iis quasi pendet et definitur. Restat, ut id, quod summum est, afferamus. Anno enim 732 in pristinam libertatem res publica restitui videbatur, propterea quod Augustus consulatu ad se delato se abdicavit, et anno 733 in Siciliam se contulit, ubi ad 735 versabatur. Etiam septingentesimo trigesimo secundo anno Murena et Caepio coniurationem fecerant, et in consulibus creandis seditio erat exorta, quam aegre pacavit Agrippa. Simile quiddam in consulibus creandis anno 734 factum erat. Quae omnia inprimis Caesaris absentia communis libertatis studium refrigescens denuo ita excitaverunt, ut illis temporibus novandarum rerum indicia saepius apparerent.

V. 11 Exterret perversum et absurdum est propter pavoris vocabulum, quod praemissum est, itaque Marklandius coniectura posuit „exercet“, id quod sententiam haud ita aptiorem reddit. Praeclare vero restituit „externat“ Fr. Jacobsius, quem Hauptius et Meineckius secuti sunt [59]).

V. 17 Artes hoc loco et Od. IV 8, 5 pro artificiis dictae sunt, qua significatione hoc verbum instructum fuisse praeter

57) Suet. Octav. cap. 40.

58) Wieland pag. 129—135.

59) cf. Lachmann ad Lucretium pag. 266.

hos locos nunquam quidem in Romanorum litteris, quae ad nostram venerunt memoriam, reperimus. Similiter at tamen diverse Vergilius in Aeneide V 359 artis vocabulo utitur, propterea diverse, quod adiungitur genitivus, quo denotatur opifex. Apud Graecos eodem modo, quo „ars" hic apud Horatium, „τέχνη" usurpatur, atque simili quadam ratione nixa vox „χεῖρες[60])" quoque in eundem usum pervenit, cui verbo apud Romanos „manus" plane respondent. Designantur igitur his artibus artificia ab egregiis meliorum temporum (inde a Pericle usque ad Alexandrum Magnum) artificibus confecta.

V. 20 mane — vespertinus. Temporis adverbio „mane" oppositum est temporis adiectivum „vespertinus". Haec temporis adiectivorum adverbiorumque commutatio[61]) vulgo Graecismus appellatur, quia apud Graecos est frequentissima. Sed nequaquam est necessarium statuere Romanos hanc dictionem a Graecis mutuatos esse.

Adiectivum enim semper substantiae cuiusdam qualitatem, ut ita dicam, exprimit, adverbium contra modalitatem, qua vel aliquid agimus vel omnino aliquid fit; quorum prius nempe adiectivum, ex acriore animi perceptione profectum fatendum est. Atque adeo Latinae linguae usus eo progressus est, ut particula, quae est „non" permutata sit in adiectivum, quod est „nullus", veluti in illo antiquiore loquendi more, qui est „nullus dico", „nullus dubito[62])", ubi actionis loco subiectum ipsum negatur, de quo tamen aliquid praedicatur. Iudicandum autem est, hunc dicendi modum non solum Romanorum linguae proprium fuisse sed etiam omnibus linguis in primordiis saltem esse naturalem.

V. 22. Mutus. Bentleius[63]) ex Gruteri thesauro 302. 1.

---

60) Sophocles. Oed, Col. 471.

61) Zumpt. § 682.

62) Zumpt. § 688.

63) Editio III Amsterdam pag. 562.

testatur nomen esse „Mutum“ non „Mucium“. Quamquam autem homo prorsus ignotus est, tamen eum Horatii aequalem fuisse, neque eius nomen fictum pro certo putare possumus, quia non erat, cur nomen fingeretur. Finguntur enim nomina, si is, quem scriptor designare vult, plane est omnibus perspicuus, deinde si quid vulgare ac de medio sumptum profertur, quod in sexcentos aeque homines cadat. Sed neutrum de hoc homine dici potest; nam ea, quae pronuntiantur, eius modi sunt, ut in certum modo hominem quadrent. Erat igitur Mutus homo dives, praecipue agris fundisque locuples, quos mulier ipsi detulit, idemque obscuro loco natus, atque hunc quidem Horatius pristino illo Satirarum more oblique carpit.

V. 21. emetat. „Emetere“ est verbum, quod Grammatici ἅπαξ εἰρημένον dicunt, qualium Horatius multo pluribus, quam alii, qui eo tempore vixerunt, poetae, utitur.

Indignum saepe uncis inclusum invenimus; utrum autem affirmative sit positum, an exclamationis vice fungatur, semper docet sententiarum nexus. Interdum, ut hic, alia quoque verba in interclusionem, quam Graeci vocant παρενθεσιν, inseruntur.

„Mirabilis“ respicit ad illud „nil admirari“ in primo versu eodem modo ut „spectent“ v. 5 „spectanda“ v. 8 „miratur“ v. 9 „torpet“ v. 14 „suspice“ v. 17 „gaude“ v. 18 „bene notum“ 25 v. 24 „In apricum“ haud dubie a poeta ornate dictum pro eo, quod est „in apertum“.

26. Porticus Agrippae. Qui porticu Pantheum quod Agrippa anno 729 aedificavit, designari existimant, ideo non satis recte iudicant, quia porticus illa sedecim columnis suffulta utique minoris fuit spatii, quam ut ibi deambularent, quicunque nobilitate et elegantia Romae inter ceteros excellerent. Intelligenda vero est porticus Neptuni vel Argonautarum, id, quod primus vidit Weichertus. (cf. Cassium Dionem 53, 27. Heinrich ad Juvenalem VI, 153. Becker Topographie).

Numa quo devenit et Ancus [64]). Anci inprimis probi

64) cf. Lucret. III, 1037 ff.

illius regis nomen velut in proverbium venerat, unde Romani mortis solatium peterent, cum animo reputantes alios quoque eosque clarissimos homines iam vita defunctos esse, quos quasi malorum socios apud inferos habituri essent.

V. 28 latus aut renes. πλευρῖτις ἢ νεφρῖτις.

Hunc versum quoniam iisdem verbis expressus iam in Satiris II 3, 163 legitur C. F. Hermannus in Progr. Marbrg. 1838 pag. 15 delendum esse censuit. Is enim recte regulam illam proposuit, ubicunque in Horatii scriptis unus idemque versus bis reperiatur, utique semel ab editoribus tollendum esse, nisi forte distincta et manifesta unius loci ad alterum relatio sit iniecta. Sed in eo peccat Hermannus, quod hoc in loco versum extinctum vult, ubi plane necessarius est, cum in satiris sit supervacaneus.

31. putes. Hanc lectionem Bentleius optimis tribus, quos excussit, codicibus atque Cruquius quinque sed non antiquissimo Blandiniano, cui semper fere summa fides habenda est, stabilivit. Hic enim una cum Gothano et Orellii optimo codice exhibet „putas", id quod plerique omnino praebent, quodque per se non est vituperandum, quia ita enunciatum simpliciter assertorice ponitur. Est igitur „putas" lectio auctoritate confirmata minime spernenda, sed equidem tamen eam, quae est „putes", ideo praefero, quia lectionem explicatu difficiliorem in codicibus ex faciliore exortam esse, nemo mihi persuadebit. Immo contrarium semper fieri solet; quam ob rem mihi quidem „putes", quod est difficilius explicatu, vera lectio videtur esse, praesertim cum utraque testimoniis aeque paene fide dignis sancita sit, et mihi „putes" lectio in toto sententiarum nexu aptior appareat)cfr. quae infra contra Ribbeckium disputavimus). Atque etiam Bentleius hanc recepit lectionem, sed interrogationis forma, qua induit enunciatum, sententiam non tam aptam reddidit, quam si colo distinguimus, atque enunciato concessionis vim subiicimus.

Verba hoc loco in praegnantem quandam significationem

conversa ab Horatio adhibita esse reperimus, ita ut in iis notio „nil nisi verba“ insit, quibus aliis in locis semper res opponuntur. Pluralis autem forma quomodo explicanda sit, ex linguae usu, quo haec dictio quasi in formulam abierat, petenda est, ut apud Graecos „λόγοι“. Neque raro ἔργα et λόγος, λόγοι et ἔργον, ὀνόματα et ἔργον, ubi numeri quasi decussantur, ut inter se contraria posita sunt [65]). Cum sententia autem, quae subest Horatiano huic: „Virtutem verba putes et lucum ligna“ conveniunt, quae leguntur apud Cassium Dionem 47, 49 et apud Plutarchum Moralia 165a, haud dubie ex tragico quodam, cuius nomen non extat, deprompta. Praeterea cf. Cic. Tusc. V 41 et 119 et Ep. I 17. 41.

et lucum ligna. „Et“ coniunctionem copulativam Bentleii optimi et omnes omnino boni libri exhibent, cum in aliis „ut“, comparationis particula, legatur. Ac sane quidem „et“, bonorum scriptorum lectio, praestantior mihi videtur esse ea de causa, quod in „ut“ comparationis particula aliquid ambiguitatis remanere puto, quam iam antea Bentleius Torrentium secutus ita disserens detexit: „Nec vero, inquit, „parum inter est“ „et“ an „ut“ legas: „prius indicabit aeque aut magis esse difficile religionem abnegare quam virtutem; posterius, virtutem quidem veri speciem habere, religionem vero et Flacco et plerisque aliis inter fabulas numerari. Quod et probe animadvertit Torrentius qui: „Omnino“ inquit „legendum est „et lucum“: nam retenta vulgari lectione videri possit Horatius de luco id sentire, quod alterum rogat: et sensisse quidem credo; sed ita sentire hoc loco noluit.“

Ribbeckius [66]) autem, quamquam illud ei concedo, nos non necessario, si „ut“ retinemus, Horatio ipsi impie dictum attribuere, tamen quid voluerit dicens, comparationis particula „ut“ sententiae consensum et unitatem astrictius quodammodo con-

65) cf. Porson Euripides Phoeniss. 512.

66) pag. 137.

tineri atque coerceri, plane me fugit. Immo apud Horatium saepissime comparationis membra sive coniunctione copulativa „et“ sive prorsus apposite dicta plane invicem exaequentur.

V. 32 occupet. Verbum „occupare“ ab interpretibus in diversas partes est explicatum. Et Krügerus quidem idem, valere contendit, quod Graecum illud „φθάνειν“ id est „in agendo aliquid celeriorem esse quam alium quendam“. Neque aliter Orellius aliique interpretabantur, cum „occupare“ verbum pro „praeoccupare“ positum esse statuebant. Occupare vero a „capere“ verbo est derivandum, neque quidquam sibi vult aliud atque „aliqua re vel aliquo loco potiri“, quam significationem ex „ob“ praepositione maxime pendere „obtinere“ verbum compositum manifestissime docet. Idem valet „occupare“ apud Horatium in carminibus II 12. 28, in quibus illud verbum cum infinitivo est coniunctum. Est igitur enunciati sententia: Quam segnis es! Immo enixe contende, ut portu potiaris.

V. 35. Et quae pars quadrat acervum id est ea pars, quae primam partem quadruplam reddit. Ceterum verbum „quadrare“ raro propriam et primam significationem servat, sed plerumque transitive est „apte complere, absolvere“ intransitive „congruere, convenire, consentire“ (Orellius). Retinet autem praeter hunc, de quo agimus, locum principalem et propriam significationem in compositione, quae est „tigna quadrare“.

36 Scilicet et videlicet et nimirum et nempe coniunctiones ironiam, quae in tota sententia versatur, dilucidam modo et distinctam faciunt, per se cuiusvis ironiae expertes.

V. 38 bene nummatum cf. Cic. de leg. agr. II, 22, 59.

Suadela Venusque. Suadela vel, ut ab Ennio apud Ciceronem (in Bruto 15, 59) appellatur, Suada, quae forma proprie est adiectiva, dum Suadela substantivi vice fungitur, est dea, quam Graeci vocant Πειθώ. Neque solum simpliciter, ut persuadendi dea, in honore habebatur, sed etiam ut cuiusvis decoris patrona colebatur. Itaque Athenis una cum Aphrodite adorabatur, atque etiam in monumentis simul cum ea comparet

efficta. „Ela“ autem exitus, quo terminatur Suadela, semper habet, (ut omnia, quae ita exeunt verba,) „e“ in syllaba penultima natura longum, sive est perscriptum „ela“ sive „ella“. „L“ vero littera utrum semel sit ponenda an geminata, Lachmannus [67]) proposuit legem, quae, quamquam non omnibus temporibus accurate est observata, ut fieri solet in orthographiae praeceptis, tamen optimis temporibus vulgo paene est spectata, nempe hanc: Si ante „ela“ brevis syllaba antecedit, „l“ consonans geminenda est, ut in „loquella“, „querella“, sin autem antecedit syllaba producta, semel est perscribenda.

39 mancipiis. Cappadocum regis imperio subiectos ludibrio cum faceto ad unum omnes Horatius appellat mancipia; non, ut nonnulli existimant, eos tantum, qui re vera eius servi vel vernae erant. Et quia semper Cappadocum reges inopia quadam premebantur, (ut Cicero [68]) memoriae prodit,) ad pecuniam sibi comparandam imperio suo parentes venumdabant. Sed Romae hi servi rudes atque pravi habebantur neque ullo erant in pretio. Est igitur nullius momenti talis rex, qualis erat Archelaus (718—771), quem haud dubie respicit poeta.

Ne fueris hic tu. Usu venit hoc loco id, ad quod iam supra mentem advertimus: comparationis vim adeo augeri, ut utrumque eius membrum plane exaequetur [69]) cf. epp. I. 15, 42.

v. 44. partem vel tolleret omnes. Sunt haec verba exemplum eius figurae, quam Grammatici „ἀπὸ κοινοῦ“ vocant. Apparet enim „vel tolleret“ verba, quamquam ante „omnes“ demum verbum posita sint, tamen etiam ad prius, quod est „partem“ suggerenda esse, ita ut plena sententia haec sit: vel tolleret partem vel tolleret omnes.

49) Species id est, quod oculis cernitur, forma externa, unde duplex huius verbi usus deducitur. Primum enim id, quod

---

67) ad Lucretium pag. 204.

68) epp. ad Atticum IV, 1, 4 et VI, 3, 5.

69) cf. pag. 44.

cernitur, eiusmodi esse potest, ut dignum sit, quod ab omnibus adspiciatur, atque hoc modo „species“ vocabulum corporis pulchritudinis significationem induit, et cum non solum corporis sed etiam animi virtutes dignae sint, quae aspiciantur, auctoritatis vel dignitatis significationem assecutum est, qua hoc in loco praeditum invenimus.

Est igitur vis, quae subiecta est huic vocabulo, hoc modo in praegnantem quandam significationem deflexa. Deinde iis, quae oculis cernuntur, partes interiores, quae oculis videri non possunt, opponuntur, itaque „species“ vocabulum idem valet, quod species simulata, cui res, quales reapse sunt, non respondent: et quoniam homines res notis, quae conspiciuntur, distinguunt, idem est, quod nos nunc in arte logica „speciem“ vocamus. Denique apud mercatores sunt species odores et condimenta ex India vel Arabia apportata.

51. trans pondera. Acron atque recentiores nonnulli interpretes lapides aliaque ponderosa, quae impediunt, quominus iste honores captans progredi possit, pondera esse voluerunt Sed haec explicatio minime est apta ad totum sententiarum nexum. Alii contra de toga ponderosa cogitarunt. Attamen qui fieri potest, ut pondus idem sit ac toga? Longius quoque repetitum videtur, quod profert Orellius qui: „Propola“, inquit, „in taberna sedens ante se habet positam trutinam ac pondera, ad quae merces suas, oleum, piper, thus, sagalma, cetera adventoribus vendit. Iam qui honores non captat, transit ne intuens quidem infimae sortis hominem; ambitiosus a sedulo nomenclatore iubetur ei trans sordidum istum apparatum ponderum ac mensurarum dextram aeque comiter porrigere, ac si familiaris esset, sperans fore, ut eius suffragium sibi conciliet.“ Rectam vero explicationem primus proposuit Johannes Matthias Gessnerus, quam Lachmannus ad Lucretium II 228 longius et accuratius persecutus est. Sunt enim pondera secundum eorum sententiam partes per corpus quoddam recte et aeque divisae ac distributae itaque aequilibrium. Haec ex-

plicatio, quam iam in enarratione respeximus, universo cum nexu plane congruit [70]).

52) Fabia, Velina scilicet „tribus“ ellipsis usitatissima.

Importunus is est, qui nullam cuiusquam rei neque temporis neque loci rationem habet. (Germanice: „rücksichtslos.“)

adoptare hic idem est ac salutare.

58) De Gargilio quod produnt scholiastae, ex hoc tantum Horatii loco desumptum est. Historia autem, quae de illo narratur, non ad heluationem illustrandam affertur, sed inserta est ad venandi studium illudendum.

59) **Differtum** transire **forum populumque** iubebat,

Unus ut e multis **populo** spectante referret

etc. Bentleius: „Quorsum inhonesta illa repetitio populumque et populo? cavisset hoc poetarum diligentissimus.“ Atque in eandem sententiam discessit Ribbeckius [71]). Ab hac igitur profectus sententia, quam ut veram constare iudicat Bentleius „populumque“ vocabulum reiiciendum atque in eius locum „campumque“ scribendum esse censuit. Quod ut faceret, eo magis est adductus, quia ipsum fugit, quid grammatica figura, quae ἓν διὰ δυοῖν vocatur, sibi vellet. Pergit enim: „Utrique verbo et „foro“ et „populo“ commune epitheton est „differtum“; hoc ipsa constructio flagitat. Quisquamne autem dixerit populum differtum? Confertum quidem de ipsa turba dici passim invenies: differtum et refertum tantummodo ad locum pertinent turba plenum.“

Sed Bentleii iudicium, quo tota haec coniectura nititur, non satis est rectum. Primum enim ad unum omnes libri „populumque“ et „populo“ verba exhibent, et recte animadvertit Gesnerus hoc vocabulum festive duobus continuis versiculis repeti. Deinde „forum populumque“ formula est usitatissima apud Tacitum, de qua bene disseruit in excursu quodam ad Agricolam Rothius. Inprimis vero Lobeckius ad Aiacem 145, quae sit vis

70) cf. pondera Ovid. Metamm. I, 13.

71) pag. 137 und 138.

ac natura grammaticae illius figurae, quae ἓν διὰ δυοῖν vocatur, multis bono ex ordine allatis exemplis et sincero atque integro iudicio usus demonstravit, quem Hauptius in hunc fere modum disputans secutus est: „Vulgo," inquit, τὸ „ἓν διὰ δυοῖν" ita explicatur, ut ad universalem quandam notionem accuratior quaedam accedat definitio; atque haec quidem explicatio saepius quadrat, neque vero sola sufficit, quia contrarium quoque occurrit, et hac explicatione reapse nihildum docetur. Melior est haecce: „In „ἓν διὰ δυοῖν" grammatica figura adhibenda notio quaedam quasi dissolvitur in singula momenta, quae ut graviora animus concipit, sive sunt partes accuratioris definitionis, sive nuda explicatio, sive ex contrario amplificatio. Fieri quoque solet, ut ad materiam id, quod ex ea fictum est, vel ad fictum materia adiiciatur, veluti in Vergiliano illo: „pateris libamus et auro." Est igitur „differtum forum populumque" forum populo differtum cf. Serm. I 5, 3 et 4.

62) Caerite cera. Caere urbem anno 365 a. u. c., ut Hauptius exposuit, Etruscis in Romanorum ditionem redactis, dimidio agri sui, quia erat proxima Etruscorum res publica, victoribus cedere oportuit, eiusque regionis incolae in civitatem sine suffragio suscepti sunt. Erant igitur obnoxii, sed in domesticis rebus administrandis sui iuris[72]), quocum bene convenit, quod narrat Strabo[73]) Caerites accepisse πολιτείαν non autem ἰσονομίαν. Et quoniam tunc primum accidit, ut civitas sine suffragio daretur, tabulae Caerites, in quibus referebantur omnes vel ii, quibus postea ex nota censoria suffragii ius ademptum erat, formulae vim acceperunt. Hoc quidem recte vidit Gellius XVI 13[74]), sed in eo peccat, quod opinatur, Caeritibus eam civitatem honoris causa pro sacris bello Gallico receptis custoditisque tributam esse. Neque enim unquam apud veteres, qui

72) Mommsen I pag. 338.

73) V, 220.

74) Noctes Atticae.

omnia ad rem publicam revocabant, fieri potuit, ut imminutum illud civitatis ius honoris causa ad aliquos deferretur; quae quidem ratio ab antiquorum ingenio moribusque plane est aliena, neque unquam Romani pro auxilio, quod iis a Caeritibus bello Gallico latum est, grato animo meritum praemium persolverunt. Cera idem quod tabula; itaque vis quae subiecta est verbis, de quibus agimus, haec: Ingenui civis nomine indigni et digni, qui removeantur ex honestorum civium numero.

63) Remigium pro remigibus dictum, ut apud Ciceronem Tusc. V 39. 144. Zumpt. § 675.

Vitiosi Ulixis socii propterea appellantur, quod iis adeo non reversio in patriam curae erat, ut ad interdictam voluptatem pellicerentur, et Solis boves immolarent [75]). De iis enim cogitandum est, non, ut alii minus apte volunt, de Circa et Sirenibus. Qui autem lotum, unde Ulixem socios per vim abducere necesse fuit, Horatium in animo habuisse existimant, ii quoque fieri potest ut recte iudicaverint.

Mimnermus. Extant et ad nostram memoriam pervenerunt versus ipsi, quos Horatius hic videtur respexisse, quamvis plurima, quae scripsit poeta ille elegiacus Colophonius invidia temporum nobis erepta sint. cf. Stobaeus florilegium tit. 63 § 16 et Bergk poeta lyrici 327. Τὸ δὲ βίος etc.

Jocus παιδίον Propertius I, 11, 9. Ovid. A. A. I 62 lusus.

Sed nunc age animum referamus ad decimam epistulam ad Aristium Fuscum datam eiusque plenam enarrationem.

Epistularum formam plane secutus Horatius, qui tunc in Sabino suo commorabatur, ipso initio huius poematis Aristio

---

75) Odyss. 12, 297.

Fusco, qui erat Romae, salutem scribit. Et quoniam, ut ipse dicit, intima amicitia et ingenii ac morum similitudine cum illo coniunctus erat, ita ut ipsorum utriusque studia plane essent eadem, una tamen re excepta, quod nempe ille vitam urbanam unice laudabat, ipse rusticam longe praeferebat, poeta ex hac ipsa re occasionem sibi sumpsit demonstrandi, quae essent vitae rusticae iucunditates, easque cur tanti aestimaret. Tu, inquit, domicilium urbanum libentissime semper obtines, ego vero ruris amoenitates velut rivos et saxa musco obducta et nemora praedico celebroque. Hic demum ruri vitam vere vitalem dego, hic mei sum iuris neque ex quoquam pendens, hic igitur quasi rex. Itaque quam vos, oppidani, in caelum laudibus extollitis, vitam urbanam, et quae ad eam lautissimam efficiendam, summo cum studio expetuntur, divitias et honores, me pro nihilo putare, iisque quam primum, quo ad fieri potest, terga dare mirum non est. Quantopere enim sacerdotis illum servum liborum pertaesum erat, qui, cum nullo alio cibo aleretur, dominum effugit tantopere equidem panem desidero, id est rusticae vitae simplicitatem anquiro ac lautissimam istam urbanam vitam omnibusque deliciis diffluentem despicio. Et profecto, cum unumquemque hominem naturae convenienter vivere deceat, nullus est locus rure aptior, ubi vivamus, quia praeter omnia ad modicam vitam necessaria hominibus dulcedines praebet multas.

Ubi enim hiemis frigus lenius? Ubi aestatis calor mitior et temperatior? Ubi curis liberius solutiusque vivimus? Nullum mehercle urbanum domicilium, quamvis pulchrum et exornatum, cum pratorum splendore comparari potest. Nonne multo purior est, atque multo magis palatum oblectat aqua hausta ex rivo, qui per virides campos serpens in mundo alveo fluit, quam quae fistulis suppeditatur oppidanis? Ac vera haec esse et vitam rusticam urbana multo praestare oppidani ipsi re agnoscunt, qui naturam, qualis est ruri, imitari student ipsa in urbe. Quare potissimum fieri solet, ut ii ipsi, qui in vita urbana laudanda nimii sunt, viridaria hortosque in domiciliis suis aedificent,

summoque cum studio colant, atque eas aedes, quae longe lateque prospectum praebeant in agros, plurimi faciant. Quae cum ita sint, natura perversis divitum fastidiis semper etiamnunc superior est, et in dies magis omnia, quae ipsi contraria obstant, pervincet, eosque, qui quamvis longe a simplici vita recesserint, vel invitos ad se redire coget. Nam qui vitam naturae consentaneam degunt, ei melius usque sibi consulunt, et a quovis detrimento, quod quidem altius et penitius in animos penetrat, tutiores sunt, quam ii, qui id unum agunt, ut rerum ad luxuriam pertinentium peritissimos se praestent. Qui omnino iacturam facere nolunt, eos omnes res, uquanti re vera sint, oportet diiudicare, neque quidquam ex fortuna suspensum habere debent. Fluxa enim est fortuna, eiusque vicissitudine vel maxime percutiuntur, qui secundis rebus nimium delectantur, quia ad quam quisque rem quantulacunque cupiditate fertur, ea aegerrime caret. Qua de causa:

„Fuge magna; licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos."

Quid haec sibi verba velint, non difficile est intellectu. Nemini enim dubium esse puto, quin „paupere tecto" domicilium rusticum designetur, atque Horatius proprie de fundo suo cogitaverit, qui sibi naturae convenienter vivere permitteret, et omnia afferret, quae ad modicam vitam necessaria essent.

Ibi in fundo suo optime examinare potuit, quid cuique rei pretii tribuendum esset, ibique experientia edoctus in eam pervenire sententiam, ut in modica fortuna optime vivere homines statueret. Commendat igitur, ne homines plus, quam ad vitam modicam necesse sit, expetant. Nam avaritia homines in servitutem redigit pessimam, id quod praeclare fabula a poeta demonstratur, quam Stesichorus Himerensibus narrasse fertur. Exortum enim esse olim inter cervum et equum nimia nimirum habendi cupiditate certamen de communibus pascuis, ex quo inferior discessisset equus. Quo facto eum ab homine, qui opibus valeret maxumis, auxilium expoposcisse, quod ille quidem

ea conditione tulisset, ut equus famulando omnia rependentis munera expleret. Sed postquam gaudens atque exsultans cervum victum vidisset, eum ab homine ex servitio non dimissum sed in perpetua servitute retentum esse. Idem, quod equo in fabula, pergit Horatius, unicuique homini accidit, qui lucri studio tenetur. Qui enim is liber esse potest, qui ad externa bona, velut aurum, argentum aliaque pretiosa metalla comparanda summos semper subeat labores? Immo is, qui ad caducas illas divitias captandas immodica et immoderata cupiditate fertur, servitutem servit acerbissimam, qua, qui suo contentus vivit, plane vacat. Cui vero sors et conditio, qua utitur, displicet, quemque semper eius taedet, is in eodem loco est, in quo is, qui non habet aptos ad pedes calceos, qui, si pedibus maiores sunt, faciunt, ut humi prolabamur, si minores, pedes constringunt et dolore nos afficiunt.

Quare, ut omnes, ita tu, Aristi, sapientissime vives, si sorte tua contentus eris. Sed ne urbanitas desideraretur, et ad molesti reprehensoris speciem devitandam, (nam re vera Aristius Fuscus ad quaestum paullulum intentus fuisse videtur) addidit Horatius, ne unquam pro sua etiam parte amicus praetermitteret, quin ipsum admoneret vel castigaret, si forte videret, vel ipsum praeceptorum, quae aliis commendaret, immemorem esse, et maiores, quam quae ad vitam modicam necesse essent, divitias coacervare. Pecunia enim, quam quisque collegit, aut domina aut serva est, prout mores eorum, qui eam possident, comparati sunt, quippe quae solius tantum instrumenti, ut nos dicere solemus, vice fungi debeat.

Haec verba tibi, id est, ut tu legeres, atque in tuum usum converteres, puero meo a manu post Vacunae templum vetustate iam ex parte collapsum dictabam, id vel maxime dolens, quod non mecum esses, ceteroquin alacer et laetus.

Enarrationi huius epistulae nunc explicationem adiungamus; ac primum quidem de persona, ad quam data est epistula, quantum quidem pro certo exploratum est, afferamus. Quoniam autem Aristius Fuscus aliis quoque locis in Horatii scriptis nominatur velut in carminibus (I, 22) et in sermonibus (I, 9, 61 et I, 10, 83), ibique item a poeta ipso carus et optimus appellatur, coniici licet, eum intimis Horatii amicis annumerandum esse. Sed quibus in studiis maxime versatus sit, id non satis convenit inter scholiastas. Acron enim ad epistulam, de qua agimus, adnotat, eum tragoediarum scriptorem fuisse, Porphyrion vero comoediarum, dum idem ille scholiasta ad satiram primi libri nonam eum grammaticum eo tempore praestantissimum et amicum Horatii fuisse adscribit.

Atque hoc quidem verum videtur esse, et probaverunt Hauptius in Gratii editione et Orellius ad satiram primi libri nonam. Praeterea nihil, quod non ex hac ipsa epistula elici possit, de Aristio aliunde explorare quimus.

v. 3. at cetera. Sic in codice antiquissimo Blandiniano aliisque scriptum est, dum complures alii „ad cetera“ exhibent. Utram autem lectionem praeferamus? Nempe eam, dicet fortasse quispiam, quam codex iste, cui summa fides habenda est, praebet. Sed hic longe aliter res se habet, neque quidquam codicibus effici potest. In exitu enim eorum verborum, quae in linguales excidunt, Romani tenuem et mediam promiscue scribebant, atque „d“ et „t“ consonantes sine ullo discrimine enunciabant. Cognosci igitur hoc loco nequit, utrum scriba „ad“ an „at“ voluerit, et quaestio eo deducenda est, ut demonstretur, utrum „ad“ sive „d“ sive „t“ perscriptum coniunctio an praepositio sit. „Ad cetera“ autem verborum coniunctio, in qua „ad“ praepositionis locum obtinet, quamquam a linguae latinae

usu nequaquam abhorret, tamen rarissime [70]) invenitur in Romanorum litteris. „Cetera“ contra verbum per se adverbialiter positum saepissime extat, atque Germanice vertendum est „im Uebrigen“. Ad hoc igitur verbum optime accedere „at“ coniunctionem, quis est quin neget? Ergo „at cetera“ lectionem, in qua „at“ coniunctio est, comprobandam esse censeo.

Sed priusquam in explicatione longius progrediamur, quomodo nobis interpungendum sit, constituere necesse est.

Atque interpunctionem, quam Hauptius proposuit, secutus sum, quia ea, quam commendat vir ille doctissimus, verborum sententia fit aptissima. Interpungit autem ita.

> Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
> Ruris amatores. Hac in re scilicet una
> Multum dissimiles, at cetera paene gemelli,
> Fraternis animis, quidquid negat alter, et alter,
> Annuimus pariter: vetuli notique columbi,
> Tu nidum servas; et quae sequ.

Necessario vero post „gemelli“ verbum commate distinguendum esse dicit, quia „fraternis animis“, ablativi absoluti, quasi appositione quodammodo adiecti, sententiam, quae „gemelli“ verbo subiecta est, longius persequuntur explanantque. Porro ex relativo enunciato „quidquid negat alter“ ad insequentia verba „et alter“ participium „negans“ suggerendum est, vel si constructionem nimis adstrictam et impeditam expedire velimus, ipsam praesentis formam „negat“.

Annuimus pariter vetuli notique columbi. In codice antiquissimo Blandiniano legitur: „pariter vetulis notisque columbis“. Connectit igitur „pariter“ et „vetuli notique columbi“. Sed iam ea de causa haec scriptura falsa et depravata est, quia „pariter“ nunquam cum dativo coniungitur atque

---

70) cf. Livius XXXVII, 7, 15. Pomponius Mela II, 1. Gaius Institut. I, § 136. Avienus IV, 1.

haec constructio latinitatis plane expers est. „Similiter“ adverbium forsitan hoc modo usurpari possit.

6) nidum. Poeta imaginem inchoatam servat.

laudo. „Laudare“ hic non simpliciter laudandi significationem habet, sed sibi laudare est, ut in satira prima V. 3, idemque valens, quod Graecum illud „μακαρίζειν“.

7) circumlita. Verbum „linere“ simplex eiusque composita saepissime de coloribus dicuntur et „tingendi“ quodammodo notionem accipiunt. Sunt igitur saxa musco quasi variis coloribus obducta et exornata.

„Effertis“ ex codice Blandiniano recipiendum est. Et quae sunt, quae rumore secundo, id est assensu magna voce edito efferuntur? Divitiae nimirum et honores.

V. 10. Utrum historia illa, quam Horatius de sacerdotis servo profert, vera sit an ficta ambignum est Utique bellum est, sacerdotes, quae dii non comederent, in suum usum convertisse, atque ita sacerdotem quendam servum suum diem ex die libis aluisse, quoad aufugeret. Lepidissime hoc Horatius in se transtulit.

„Domo“ dativi forma admodum rara pro „domui“ sed hic metro confirmata cf. Cato R. R. 134 2 Zumptius § 83.

V. 12. Bene monuit Orellius, „Δεῖ ὁμολογουμένως τῇ Φύσει ζῆν“ naturae convenienter vivere Stoicorum praeceptum esse. Cuius rei Ciceronem testem affert, qui placitum illud, quid sibi velit, ita explicat: (Cic. off. III. 3 7 ed. Gruber). „Quod summum bonum a Stoicis dicitur convenienter naturae vivere, id habet hanc, ut opinor, sententiam cum virtute congruere semper.“ In legibus autem (I, 21, 56 ed Klotz) idem ille Cicero iterum hoc Stoicorum placitum profert, atque paulo cum Horatio convenientius exposuit. Dicit enim: „Sed certe res ita se habet, ut ex natura vivere summum bonum sit, id est vita modica et apta virtute perfrui.“ Quid enim aliud tota epistula commendat Horatius quam vitam modicam, quae in eo posita est, ut homines semper conditione, quae cuique imposita esset, con-

tenti viverent. Nullum autem locum rure aptiorem esse, quo vita illa modica peragi possit. Eligenda est igitur ruri area, in qua domum exaedificemus, et sedem ac domicilium nostrum collocemus.

14) rure beato. Rus, quod omnibus rebus, quae ad vitam necessaria sunt, abundat.

15) tepeant. „Tepere“ verbum, prout res postulat, et calidi et frigidi significationem accipere potest, tum cum hoc verbum temperationis vicissitudinem denotat. Hic autem aperte calida hiems designatur. Jam vero accuratius nobis considerantibus falsum apparere necesse est, hiemem ruri calidiorem esse quam in urbe. Sed Horatium hoc non omnino de hieme, qualis sit ruri, dicere reputandum est; „villam suam tantum Sabinam respicit, quae et ab Aquilone et ab Austro collibus satis altis protecta erat.“ (Orelli.)

16) momenta Leonis. Orellius momenta explicat: „motus, circuitus caelestes.“ Sed iam antea docuimus momentum nunquam idem esse ac motum; momenta vero sunt hoc in loco tempora definita. Est igitur verborum sententia: Ruri aestatis calor lenitur, cum tempus adest, quo sol in leonis signum intrat. Quamquam autem leo hic pro sidere positus est, tamen Horatius leonem bestiam quasi viventem et furibundam fingens atque inducens facete ludit, ut poetae solent.

V. 19 acutum cf. Hesiod. O. et D. 414 *μένος ὀξέος ἠελιοῖο.*

„Divellat“ optimi exhibent codices nonnulli alii „depellat“. Gravior utique ac plenior est lectio „divellat“ et sane exquisitior quam „depellat“. Illud significat: somnum subito interrumpit nosque excitat; hoc simpliciter nos dormire non sinit. Et quoniam cura nos dormire non sinit, „invida“ appellatur.

V. 19. Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?

Bentleius: „Ita libri et typis cusi et manuscripti: Libycos autem lapillos recte accipiunt tesselata et sectilia pavimenta *λιθόστρωτα*, ex variis Libyci marmoris frustis elaborata. Ergo

haec erit sententia: „Nonne iucundius est super herbam rure incedere et deambulare, quam urbe super pavimenta marmorea? Recte hoc: neque quicquam de loco moveo, praesertim cum omnes ubique codices obnitantur. Tamen cum in versu priore de somno sit facta mentio, suspicio inde mihi suborta est, pro „lapillis“ ab auctoris manu „tapetis“ forte extitisse non magna mutatione;

Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba tapetis?

hoc est, cum meridiari voles, suavior rure lectulus est herba virens, et florida, quam urbe Libyca tapetia.“ Sed haec coniectura non modo non supervacanea sed etiam plane falsa est propter ipsa verba, quae hoc loco extant, nempe „olet et nitet“, et de somno hic nequaquam cogitari potest. Nam qui fieri potest, ut is, qui in herba abiectus dormiat, eius odorem et nitorem sensibus percipiat? Ergo prior illa Bentleii explicatio unice comprobanda est, coniectura vero, quam secundo loco profert, prorsus reiicienda.

20) tendit. „Tendere“ verbum cum infinitivo coniunctum poetici sermonis proprium est.

Plumbum id est fistulae plumbeae Romae urbis aquaeductionis.

22) Silva arbustum. Serebantur enim arbores in peristylio (cf. Cornel. Nepos. Atticus 13, 2 Attici domus amoenitas non aedificio sed silva constabat,) atque adeo in tectis (cf. Carm. III 10, 6).

23) Variae columnae sunt varii coloris columnae.

24) Naturam expelles furca. „Expelles“ iure Bentleius ex optimis codicibus recepit, sed etiam „expellas“ forma per se falsa non est. Bentleius quidem „expelles“ unice comprobandum esse censet, „expellas“ plane reiiciendum. „Nam expellas,“ inquit, „perinde erit, ac possis expellere“, (dubitationem quandam vel concessionem exprimens). „Expelles vero idem ac vis, cupis, conaris expellere.“ Cum autem natura minime expelli possit,“ eam ob rem ponit vir ille doctissimus futuri formam „expelles“.

At ea, quae Bentleius ad hunc locum de utriusque formae discrimine constituit, non plane recte se habent. „Expelles“ enim futuri forma hic ita usurpata est, ut eius vis proxime accedat ad imperativum, et „expellas“ praesentis coniunctivi forma eadem fere significatione posita est. Utraque igitur lectio per se ferenda est, et futuri formam lenioris imperativi quasi partes obtinentem paulo maioris tantum ponderis esse quam coniunctivi praesentis formam persuasum habeo. Imago autem, qua utitur Horatius, ab homine molesto, qui quamvis exturbatus et eiectus semper tamen rursus redire soleret, desumpta fuisse videtur. Atque „furca expellere“ verba in proverbio fuisse verisimillimum est. cf. Aristoph pax 637. Cicero ad Atticum XII 2, 4.

Furca omne lignum atque ferrum appellabatur, quod quidem superne diffissum erat. Itaque furcam bidentem primo in usu fuisse coniicere possumus. cf. Cato de R. R. 105.

26) Non, qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum.

Apparet duo genera vestium purpurearum distingui, alterum sincerum, quod purpura vere Sidonia tinctum erat, alterum adulterinum, quod Aquini fuco tantum satiatum erat. Est enim „fucus“ algae vel lichenis genus (φῦκος, orseille), cuius suco vel medicabant lanam muricis suco postea tingendam vel sine illius conchylii suco adulterinam. (Orelli.) Potantia vero participii praesentis forma a logica arte non habet, unde rite explicetur et nobis probetur. Attamen pro imperfecto, cuius participium in lingua Latina deest, positum esse nobis statuendum est, ita ut hanc fere habeamus sententiam: Qui purpuram Sidoniam discernere nesciunt a textis illis, quae Aquini tingui solebant. „Bibere“ enim et „potare“ verba saepissime a poetis de tinctura dicuntur cf. Ovid. Mett. VI 9.

Contendere hoc loco est conferre et conferendo studere differentiam perspicere.

31) mirabere. „Mirari“ verbo hoc loco eadem est significatio atque in epistula sexta.

33) reges. Nihil impedit, quominus reges proprie accipiamus, neque necessarium est de ditibus modo hominibus cogitare. Stoici enim, quorum doctrinam hac in epistula Horatius maxime secutus est, saepius de regibus proprie sumptis verba faciebant. cf. Cic. Acad. II 44, 136. Sat. I 3, 133 und 138. Epp. I 1, 106.

34 sequ. Fabula, quam Horatius hoc loco affert, ea est, quam Stesichorus Himerensibus narrasse fertur, ut iis demonstraret, quam stulte in eligendo imperatore Phalaride egissent. Eum enim, qui Agrigentinorum tyrannus esset, si ducem contra hostes constituissent, fieri non posse, quin eum sempiternum dominum in suis quoque cervicibus imponerent. cf. Aristot. Rhet. II 20, 5.

Pugna melior id est pugna superior.

35) Pellebat continuo scilicet, quotiescunque equus adventabat.

communibus herbis. Pascua omnibus animalibus communia itaque quasi publica sunt.

Ad „imploravit“ verbum ex antecedente accusativo „equum“ subiectum „equus“ suggerendum est.

36) „Opes“ pluralis forma non auxilium sed vires atque adiumenta denotat.

38) Depulit ἀπὸ κοινοῦ grammatica forma, de qua iam antea diximus.

victo ridens. Bentleius: „Ceterum illud „victor violens“ (ita enim vel „violens victor“ in omnibus codicibus legitur) in mendo cubare facile sentio, medicinam tamen polliceri vix audeo. Proposuit autem vir ille doctissimus, quoniam victor lectio plane absurda est:

Sed postquam violens victo discessit ab hoste. At ne in hac quidem coniectura acquievit.

Pergit enim: „Sed ut candide, quod sentio, dicam illud „violens“ nequaquam mihi placet, et atrociorem mendam hic olim inolevisse facile mihi persuadeo. Cur enim equus hic

violens appelletur? qui et per se impar erat cervo et nulla demum sua sed vehentis equitis virtute victoriam adeptus est. Equidem sic potius scripsissem;

Sed postquam victo sonipes discessit ab hoste.

vel

Sed postquam domito victor discessit ab hoste."

Sed neutra coniectura habet, quo omnibus probetur. Optime vero emendavit Hauptius „victo ridens", quae verba a palaeographica arte ei probare non opus erat.

Nihil autem impedire, quominus equus in apologo rideat, certissimum est. Nam eodem iure, quo cum homine locutus est equus, eodem iure, ut unusquisque concedet, equo in fabula ridere permissum est. Et eum ridere haudquaquam ab re est, victoria enim ab homine de cervo reportata quasi malevolens gaudet. Malevolenti autem risui optime respondent, quae sequuntur, nempe equum nullum ex victoria fructum percepisse. Atque Ribbeckius quoque (pag. 138) hanc Hauptii coniecturam comprobavit, et multis undique collatis exemplis fulcivit, sed praetermittere non potuit, quin illud ab ipso coniectum „volitans" quod certe supervacaneum videtur, quasi de suo adderet.

40) Improbus is appellatur, qui immodicus, intemperatus est.

42) Olim usitatissimum est in apologorum initio cf. Seiffert. Scholae Latinae II § 47, c. pag. 110.

47) Imperat aut servit collecta pecunia cuique.

Idem expressit Publius Syrus v. 998: Pecunia est ancilla, si scis uti, si nescis, hera.

v. 48 tortum funem. „Tortum" nihil aliud esse nisi epitheton ornans, recte docuerunt interpretes. Valde autem inter se dissentiunt, quae imago toti versui subiecta sit.

Verba enim: „Tortum digna sequi potius quam ducere funem" proverbii locum olim obtinuisse admodum est verisimile; nobis quidem tale proverbium non satis est perspicuum. Cogitaverunt autem interpretes primum de funibus, quibus naves

trahebantur, deinde de fune, quo boves et armenta ducebantur, tertium de saltatione, in qua saltantes orbem efficiebant, et restim ducebant, quartum de ludis puerorum gymnicis. At haec omnia, qualis verborum huius loci propria significatio fuerit, parum patefaciunt. Sane per se manifestum est, pecuniam quasi obsequi debere; qua vero imagine usus illud expresserit poeta, obscurum est. Sin autem verba, de quibus agimus, in proverbio fuerunt, tum plane nos eorum significatio fugiet.

Vacunam Sabinorum deam fuisse atque non solum Romanorum victoriae sed etiam Minervae et Cereri respondisse, Varronis testimonio apud Acronem confirmatur.

Huius quoque epistulae explicatione absoluta restat, ut opiniones, quas Ribbeckius de hac et de sexta proposuit, perpendamus.

Atque ita disputationem instituemus, ut primum singula, quae virum illum doctissimum in his duabus epistulis offenderunt, et ad transponendum commoverunt, in quaestionem vocemus, deinde rationem, qua ductus in has pervenit opiniones, disseramus. Nimirum fieri non potuit, quin ad ea, quae iam antea tractavimus, saepius provocemus, neque parvi id faciendum puto, quod utriusque epistulae plena enarratione, quam tradito textu servato ita proposuisse nobis quidem videmur, ut utraque apta sententia non careret, iam reapse demonstravimus, a tradito sextu non recedendum esse. Age vero nunc ad ipsa, quae vir ille doctissimus in medium protulit, accedamus.

In sexta enim epistula textum, qualis in omnibus codicibus traditus est, non servavit, sed transposuit et singulas epistulae partes in hunc ordinem redegit, ut ad primam, quae a versu primo usque ad decimum sextum pateret (1—16), statim omissis

versibus insequentibus (17—27) versum vigesimum octavum usque ad sexagesimum sextum adiungeret (28—66). Deinde versus vel ex decima epistula desumptos (10, 26—41) in hanc transferens ad eos demum decimum septimum et sequentes versus (17—27) antea omissos adiecit. Tunc denique in eius recensione duo illi versus: „Vive vale etc.“ ut in vulgari textu concludunt.

Atque ita Horatium ipsum versus ordinasse contendit. In criticis autem adnotationibus, quas ad sextam epistulam adscripsit, rationem reddit [77]), quibus causis commotus tam singularem et inauditam versuum collocationem proposuerit. Eas igitur primum afferre, deinde, quid cuique tribuendum sit, examinare nos decet

Et primum quidem Ribbeckius ab ea re quasi totius disputationis fundamento profectus est, quod statueret, duas epistulae sextae partes (1—27 atque 27—66), quales quidem in omnibus Horatii exemplaribus legerentur, non ita a poeta coniungi potuisse, quia adversa fronte inter se pugnarent. „Nam cum in priore parte animi tranquillitas, moderatio in omnibus rebus vel in ipso honestissimo virtutis studio (v. 25) commendaretur, omnia vero externa bona inania esse designarentur, in altera contra parte, nulla prioris ratione habita, protervissime expositum esse, quod quisque suo arbitrio tanquam instrumentum, quo ad recte vivendum perveniret, sibi elegisset sive virtutem, sive divitias, sive honores atque auctoritatem, sive epularum vel amoris voluptates, id constanter atque fortiter sectari oportere, atque eo modo, quo aegrotus, omnibus aliis rebus neglectis, id unum agere deberet, ut ex morbo convalesceret [78])“.

Sed iam in his, quae primo loco posuit Ribbeckius, nonnulla non plane ad ipsa epistulae verba accommodate expressisse et paullulum ab eius sententia deflexisse mihi videtur. Ubi

77) pag. 133—137.

78) Ribbeck pag. 133.

tandem in epistula, de qua agimus, Horatius dixit, nihil referre, utrum quis virtutem an divitias ceteraque bona externa sibi eligeret, ut ad recte vivendum perveniret? Immo dicit, unumquemque hominem recte vivere velle, atque, si virtus una hoc dare possit, (et virtutem hoc unam dare posse Horatius confisus est, quia in hac enunciatione hypothetica indicaviti praesentis formam usurpavit, qua ille quidem clare ostendit, hoc extra omnem suam dubitationem positum esse,) tum nos omnibus deliciis omissis eam unam sectari necesse esse. Pergit autem poeta, ut in enarratione iam demonstravimus, concessionis forma haud dubie utens: Faciamus contra nullo in pretio virtutem tibi esse, et cassum atque inane quiddam videri, tum sane quidem alia, quae bona esse vulgo putantur, tibi sunt expetenda. Est igitur in epistula paulo aliter locutus Horatius, ac Ribbeckius sibi finxit, neque quisquam hypotheticam illam enunciationem et concessionem eiusdem pretii esse, idemque valere, mihi persuadebit. Praeterea nunquam in tota epistula Horatius nude pronunciavit, quod ait Ribbeckius, fieri unquam potuisse, ut quisquam divitiis vel honoribus atque dignitate vel epularum atque amoris voluptatibus ad recte vivendum perveniret. Jam vero morbi illam imaginem, quam adhibet Horatius in versu vigesimo octavo et nono, non recte explicat Ribbeckius, neque recte eam refert, ad quod pertinet. Primum enim sententiarum nexus flagitat, ut corporis illi morbo animi morbus respondeat. Hic sane quidem a poeta distinctis verbis non proditur, at ex sermonis contextu facillime suggeri potest.

Nihil enim aliud animi morbus, qui desideratur, esse potest, quam illud „admirari", quod unumquemque hominem, quominus recte vivat, impedit, et a virtute, quae semper se ipsa contenta est, et qua sola ad recte vivendum pervenire possumus, longissime recedit (cf. enarrationem nostram).

Studium igitur illud, quocum aegrotus contendit, ut corporis morbo liberetur, cum virtutis studio comparatur. Virtus enim quasi animi morborum remedium expetenda est. A quo

autem animi morbo divitiae vel honores vel alia externa bona liberant? Atque praeterea inprimis ea de causa hanc imaginem non iam ad divitiarum vel honorum vel aliorum externorum bonorum studium referendam esse puto, quod verbis: „Virtutem verba putes . . . .“ sententiarum ordo plane novus incipit, nempe altera epistulae pars.

Recte animadvertit deinde Ribbeckius [79]) alterius epistulae partis admonitiones et praecepta non ex intimo poetae animo dici potuisse, et saepe ironiam plane manifestam esse, id quod insuper Funkhaenel quasi laterem lavans nonnullis in locis (20, 22, 45, 51, 55, 60 ff.) demonstraverit.

Attamen argumentum, quod ex hac re contra suas opiniones repeti possit, quasi intercipiens addit Ribbeckius [79]): „Sed deest“, inquit, „in altera parte, quo ostendatur, quid vere senserit poeta, atque quo contraria illa duarum epistulae partium praecepta exaequentur. Quomodo enim altera pars abrupte ac sine ullo transitus vestigio priorem excipit, eodem modo post alteram ipsam confestim epistula concludit, ita tamen, quasi scriptor certum quiddam proposuerit. Nempe verba „his utere mecum“ flagitant, ut certa praecepta antecedant“. „Aut igitur“, sic colligit Ribbeckius ex propositis, „ludificatur inepte Horatius, aut modo virtutis modo externorum bonorum studium commendat“. Quid vero? Estne plane recta Ribbeckii propositio? Nonne plane falsum est, quod dixit, nullum transitus vestigium a priore ad alteram epistulae partem extare? Quid enim aliud sibi volunt versus illi vigesimus octavus atque sequentes usque ad trigesimum primum? Hos versus optimam esse transitionem iam in enarratione demonstravimus.

Sed mittamus hoc, atque statuamus paulisper, ad Ribbeckii ratiocinationem longius persequendam, alias saltem causas, quas protulit, plane veras rectasque esse, itemque illud, quod inde

---

79) pag. 133.

concluserit. Tum sane quidem magna difficultas exoritur, quae non facile tolli possit. Jure autem improbavit Ribbeckius [79]) Doederleinii interpretationem, qui dialogum inter Horatium et Numicium temere statuens sperat fore, ut hoc modo ex hac difficultate quasi emergat. Numicium enim, ait [79]), interpellare (in v. 15) poetam, fieri non posse, ut hominis animus ab omni perturbatione liber sit; (qui fieri possit, ut haec sententia ex versu decimo quinto et sexto eliciatur, plane me fugit;) quod concedere Horatium: tum autem homini id saltem agendum esse, ut vitae genus vanis studiis deditum et voluptatibus indulgens, si id elegerit, constanter et fortiter peragat. Pessimum enim esse, si quis inter varia studia misere divisus et distractus sit. Aut igitur philosophum aut cuiusdam cupiditatis servum esse oportere. Sed haec explicatio minime mihi placet, quia non congruit cum epistulae verbis, nullisque indiciis ex ipsa epistula petitis confirmatur dialogus iste, quem versu decimo quinto incipere posuit Doederleinius. Omnino etiam ex iis, quae de Doederleinii, quoniam ipsius editionem, ut inspicerem, mihi non contigit, opinionibus solum per Ribbeckium comperi, elucere mihi videtur, eum multis in locis contortius, quam ferri possit interpretari, neque temperare mihi possum, quin Ribbeckii iudicium, quod de illius explicatione fecit, plane comprobem.

Hanc igitur interpretationem cum Ribbeckio reiiciendam esse censeo. Quomodo autem ille difficultatem antea notatam tollit?

Nam Funkhaenelii quoque explicationem respuit dicens: „An putemus“, inquit [80]), „nobis in eo acquiescendum esse, quod Horatius in hac epistula, cuius initio tam certum praeceptum proposuerit, non solum ironiam latius, quam ferre possit, exspatiari passus sit, sed etiam sine ullo ad veram suam sententiam reditu in fine lectores in dubio reliquerit? Nam ut ad sua ipsius praecepta („his“) delegare posset, oportebat eum illa paucis

79) pag. 133.

80) Ribbeck pag. 134.

saltem comprehensa contra cupiditatum admiratores iterum argumentis comprobare et confirmare."

Hae sunt rationes, quibus Ribbeckius demonstrasse sibi visus est, nullo alio modo quam transponendo difficultatem antea notatam tollendam esse. Attamen equidem ut has rationes non satis certas ac paene temere prolatas esse duco, ita difficultatem, quam vir ille doctissimus ex diversissimis illis prioris et alterius epistulae partis praeceptis exoriri contendit, non tantam esse iudico, ut non solvi possit. Nam quod conclusit, aut inepte ludificari Horatium, aut modo virtutis modo externorum bonorum studium commendare, neutrum ei concesserim.

Sed in eius rationibus diiudicandis et refutandis evanescet quoque difficultas, quam ille tantopere pressit. Ac primum quidem nego ironiam in altera epistulae parte latius, quam ferri possit, exspatiari. In ea tantum pericopa, in qua de divitiis acquirendis agit, (31—48) paulo manifestius eam adhibet Horatius ad demonstrandum, ne maximas quidem divitias homines beatos reddere posse. Ratiocinatur autem, ut mihi videtur, hoc fere modo: Unumquemque, qui divitiarum cupiditate teneatur, Lucullum omnium ditissimum aemulari oportere ac re vera aemulari. Illi autem ut par fias, quantos esse continuo subeundos labores, et quotum quemque re vera id assequi? Qui autem reapse id assecutus sit, quem inde percipere fructum, cum ne sciat quidem, quantum habeat, et servi furaces clanculum talem dominum maxime depeculentur? Hunc sententiarum nexum ironia maxime tinctum Horatius liberius solutiusque, ut poetae licet, exposuit; sed ne quis ignoret, quid vere senserit, addit praeceptum illud:

Ergo
Si res sola potest facere et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.

Quod quoniam vidimus primi et secundi versus parodiam esse, non ex intimo poetae animo dici potuisse, sed plane in

contrariam sententiam accipiendum esse patet. Aliis in locis (ut in versu 20, 22, 51, 55, 60 sequ. cf. Ribbeck. pag. 133) ironia nunquam modum egreditur. Nequaquam igitur dici potest, ironiam latius expatiari, quam ferri possit, praesertim cum Ribbeckius hanc suam sententiam nusquam certis documentis demonstraverit. Immo ex sensu tantum suo exprompsisse videtur, qui, nisi rationum testimonia accedunt, malus caussidicus est.

Et Horatium in altera epistulae parte ad veram suam sententiam redire, neque unquam lectores in dubio relinquere contendo. Ostendit enim, quamvis tecte et ironia utens, divitiarum cupidum nunquam tantas, quantae ipsi satis esse videantur, comparare (cf. 32—35, 45 sequ.), eique nunquam laborum remissionem evadere. Ergo in divitiis vita beata non consistit.

Aperte vero poeta dicit, qui honores appetat, ei multas semper esse perferendas molestias, cum omnibus modis infimo cuique blandiatur necesse sit. Ergo ex his quoque vitae felicitas pendere nequit. Epularum autem voluptati qui plane deditus vivat, nonne Horatius distinctis verbis expressit, eum se prorsus honesti civis nomine indignum reddere? Non talem hominem cum vitiosis Ulixis sociis comparat? Quid? cum ita res se habeant, dicetne quis poetam nunquam ad veram suam sententiam redire? Ad duos tantum illos versus, in quibus de amoris voluptate agit, addere omisit, quid ipse de ea censeret, atque consulto, ut credo, omisit, aposiopesis figuram quodammodo adhibens. Nam cum peroratio hos duos versus abrupte excipit, poeta lectores attentos reddit. Quoniam autem, quid de omnibus cupiditatibus vere sentiret, iam antea satis clare exposuit, hac figura ei uti licebat, quia in aperto erat, quid legentes de suo ingenio addere poeta vellet. Fortasse verbis illis „Vive vale“ quae in peroratione praegnanti significatione posita statim subsequuntur, indicatur, fieri non posse, quin, qui amoris voluptatibus totos se dedant, bonam valetudinem atque adeo vitam amittant et deperdant. Neque omittendum esse puto, quod

in enarratione de Mimnermo attulimus. Quae cum ita sint, mihi quidem tota altera epistulae pars nihil aliud videtur esse nisi demonstratio quasi indirecte instituta et per singulas quasque principales cupiditatum species perducta, qua probetur, ne quid homines admirentur, neve ulli cupiditati indulgeant. A recta enim et beata vita quam longissime deducere cupiditates, quia hominibus labores et molestias afferant permultas, eosque vitiosos reddant, et valetudinem atque ipsam vitam perdant.

Dilabitur quoque hoc modo, quod opinatur Ribbeckius, poetam praecepta sua paucis saltem comprehensa iterum argumentis comprobare et cofirmare oportuisse.

Nam cum ex nostra sententia per totam epistulam unum idemque praeceptum perductum sit, non est, cur, ut ad illud delegari possit, repetatur, iterumque demonstretur, quod demonstrare poeta nunquam desierit. Atque etiamsi illa epistulae explicatio, quam nos proposuimus, plane ferri non possit, ea tamen causa, quam ad illam suam opinionem comprobandam profert Ribbeckius, tam futilis est, ut ne tum quidem aliquid valeat. „Vim enim pronominis demonstrativi, quod est „his", id flagitare dicit, sed non animadvertit, hoc pronomen demonstrativum ad nihil aliud quam ad illud paulo antecedens „istis" referendum esse. Manifestum quoque est secundum nostram explicationem, contraria duarum epistulae partium praecepta plane exaequata esse, et omnino duas illas partes optime congruere. At huius explicationis viam, quae, ut mihi videtur, nullas iam praebet difficultates, et cum tradito textu convenit, Ribbeckius non ingressus est, sed transponere et audaciae crimen in se admittere praetulit.

Primum autem cultrum quasi admovet versui decimo septimo et insequentibus, quia formula[81]) „I nunc" hoc loco, qualis sit sententiarum contextus, inepta sit. „Haec enim formula," inquit Ribbeckius, „desiderat, ut antecedat demonstratio,

81) Ribbeck pag. 134 et 135.

quae tamen nequaquaquam, ut expectamus, antea indirecta instituta est: nihil aliud adhuc audivimus nisi mera praecepta, demonstrationem nullam. Accedit, quod haec pericopa (17—27) perorationis quidem speciem prae se fert (cf. v. 24—27), sed hîc paene in exordio posita consiliis ironiae plenis, ex quibus constat, argumenta subsequentis interpellationis, quae et ipsa est ironica, quodammodo praecipit atque anticipat (cf. v. 20 cum v. 48). Interpellatio contra (28—66) optime versum decimum sextum excipere poterat, quia eius initium versatur in refutando illo placito, quod est: ne sapientem quidem virtutem ultra, quam satis sit, petere".

His de causis undecim illos versus (17—27) Ribbeckius hic supervacaneos et praemature insertos esse censet. Neque vero a meo animo impetrare possum, ut causas et conclusionem illam comprobem. Mihi quidem versus (9—16), qui ante formulam istam, quae est „i nunc", praecedunt, haud dubie apta demonstratio directa videtur esse, qua probetur, ne quid admirentur homines, ne ulla commoveantur animi perturbatione. Demonstratio igitur adest, deest sane quidem indirecta. Sed quis contendat, ea ipsa ad hanc formulam adhibendam opus esse? Est enim „i nunc" acerba (sarkastisch) concessionis vel permissionis formula, „qua utuntur Latini, cum vel a re quapiam deterrent, vel aliquid improbant, vel fieri non posse significant [82])." Ergo nequaquam demonstratio indirecta praemittatur necesse est.

Deinde non intelligo, cur versus illi (24—27) eam ipsam ob rem, quia in his ad mortem tanquam omnium humanarum rerum dominum ac terminum reiicitur, perorationis speciem prae se ferant, cur non in media epistula eodem iure locum habeant, praesertim cum nihil aliud agant, quam ut demonstrent, aeternam esse in mundo vicissitudinem. Atque etiamsi in hac epistula duobus in locis simile quid a poeta pertractari Ribbeckio concederemus, quid hoc valeret ad transponendum? Nonne sae-

82) cf. Seyffert Scholae Latinae II pag. 141 et Lambinum ad hunc locum.

pissime fieri solet, ut in uno eodemque carmine similis sententia bis ac saepius inveniatur? An transponendum est, quia interpellatio optime versum decimum sextum excipit? Equidem vero in epistula nullam interpellationis indicium investigavi, atque ipse Ribbeckius quoque Doederleinii explicationem supra reiciendam esse censuit, qui una cum dialogo Numici interpellationem temere statueret. Iure igitur Ribbeckio inconstantiae crimen obiicitur, quod interpellationem modo respuit, modo statuit. Quomodo autem versus vigesimus octavus et sequentes refutationem contineant, qua refellatur, ne sapientem quidem virtutem ultra, quam satis sit, petere, non video. Atque adeo refutatio huius sententiae si adesset, supervacanea et plane inepta foret. Nam profecto per se manifestum est, sapienti omnia, quae modum excedant, devitanda esse itaque virtutis quoque nimis ardens studium, quod tantum abest ut sapientiae sit, ut stultitiae crimen inde ducatur. Omnino autem versus decimus quintus et sextus artissimo vinculo cum praecedentibus cohaerent, neque ullo modo ad sequentia referri debent, quippe qui sententiarum ordinem conficiant atque absolvant, neque ullam aliam ob rem prolati sint, quam ut illustri et luculento exemplo confirmetur, in omnibus rebus intemperantiam malo esse hominibus.

Quare Ribbeckii ratiocinationi nihil tribuendum puto, praesertim cum tradito textu servato versus (15—27) etiam optime cohaerere in enarratione ostenderimus, in illius autem versuum collocatione eo ipso in loco, quo commissuram posuit, aptum sententiarum nexum frustra quaesiverimus. Ille contra suas rationes plane veras rectasque esse iudicans versus 17—27 ante sexagesimum septimum demum inseruit, ibique optime collocatos esse opinatur, quia mortis tanquam omnium humanarum rerum finis commemoratio inprimis quadret ad perorationem, et optatio illa „Vive vale“ statim subsequens eo significantior sit. Haec vero argumenta, quae non ratione sed sensu nituntur, levioris sunt momenti, quam ut inde certum aliquid efficiatur. Ad unum praeterea velim ut animus advertatur, nempe ad opti-

mam illam a versu 27 ad 28 transitionem, quae in vulgari textu, ut iam in enarratione docuimus, extat; in illius autem versuum dispositione plane sublata est.

Sed in hac versuum collocatione nondum acquievit Ribbeckius[83]). „Praecepta enim", inquit, „versibus 28—66 prolata, quamvis ironia tincta demonstratio indirecta esse nequeunt; immo contrarii vice funguntur et cupiditatum ius tuentur". Quia autem causam, ut saepius, nullam affert, nos quidem neque propositionem neque conclusionem ei concedimus, quoniam aliter rem se habere iam demonstravimus. Ille contra argumentis suis, quae nulla sunt, confisus hiatum statuit, atque adeo ad illum explendum in eam audaciam progressus est, ut ex alia nempe ex decima epistula versuum seriem in hanc transferret. Ac ne ea quidem re offensus ac deterritus est, quod hoc modo ibi in decima epistula hiatus extitit; quem unde suppleret, nihil iam habuit[84]). Tales autem medicinas, quae alterum membrum sanant, alterum deperdunt, omnes, ut puto, respuent. Atque hic etiam valde mihi dubium est, num Ribbeckii ratione alterum membrum, nempe sexta epistula, vere sanata. sit. Quid omnino audacius fingi potest, quam quod duarum epistularum partes coniunguntur, atque ita quidem, ut inde in altera hiatus plane manifestus remaneat?

At demonstrare conatus est Ribbeckius versus 25—42 in decima epistula ad res, quae in ea tractantur, non quadrare et falso ibi insertos esse[85]). Hanc igitur demonstrationem nunc consideremus. Sed ne, quae in enarratione iam exposuimus, repetamus, paucis eius rationes comprehendemus, earumque quasi summam faciemus. Haec enim ea est, ut dicat, acerbam Aristi Fusci castigationem, quae versibus 25—42 contineatur, in epistulae contextu plane ineptam esse. „Nam qui fieri potest, ut poëta

---

83) pag. 135

84) pag. 141

85) Ribbeck pag. 135. 136 u. 137.

praestantissimum suum amicum, quocum intima ingenii ac morum similitudine se coniunctum epistulae initio libere et ingenue professus est, avaritiae coarguat? Animi ad vitam urbanam inclinatione sola Aristius Fuscus cum Horatio dissensit, aliis in rebus semper consentiens, ut demonstrant versus:

Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
Ruris amatores. Hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cetera paene gemelli,
Fraternis animis, quidquid negat alter, et alter,
Annuimus pariter: vetuli notique columbi,
Tu nidum servas; et quae sequ.

Quod poëtae dicere non licuisset, si Aristi vitae urbanae amor ex avaritia et honorum contentione originem traxisset. Ergo Aristi Fusci castigatio plane inepta est, et versus illi 25—42 hic reiiciendi [86]).“

Quam acerbam castigationem, etiamsi equidem quoque ab huius epistulae natura prorsus alienam putem futuram fuisse, frustra in tota epistula quaesivi, et minime in versibus illis, quos vexavit Ribbeckius reperiendam esse credo. In iis enim Horatius praecepta ita tradit, ut non ad Fuscum modo sed ad omnes etiam, qui quidem hanc epistulam legant, aeque pertineant. Nam didactica haec poësis, quamquam ad unum alterumve praecepta sua demandat, tamen id maxime agit, ut quam plurimis docendo prosit. Itaque persuasum habeo, tres illas secundae personae formas (v. 31. mirabere, pones. v. 32, fuge) non tam ad Aristium Fuscum quam ad omnes promiscue lectores referendas esse. Quamquam non nego, rationem quandam intercedere inter haec poetae verba et Aristi Fusci mores. Et re vera ille ad quaestum paullulum intentus fuisse mihi videtur, neque cum hac re pugnant, quae in exordio posuit Horatius. Nam unusquisque mihi concedet, homini ruri viventi non tam multas res ad usum necessarias esse quam oppidano atque ei

86) pag. 136.

inprimis, qui in magna urbe vitam degat. In ea porro multa oblectamenta (cf. v. 8 simul ista reliqui) offeruntur, ad quae comparanda pecunia opus est. Hoc concesso mirum non erit, si statuemus, Fuscum, quippe urbis eiusque oblectamentorum amatorem, pecuniae paulo cupidiorem fuisse, quam Horatium ruris amatorem. Accedit[87]), quod tunc omnes fere Romani pecuniae comparandae studio quasi morbo communi impliciti erant, quo ne Aristius Fuscus quidem plane videtur vacasse. Horatius contra, qui huic cupiditati nullo modo indulgebat, non supervacaneum esse iudicavit, amicum paullulum et leniter monere. Hanc lenem admonitionem Ribbeckius in nimium auxit atque amplificavit, ita ut inde acerba castigatio evaderet. Ceterum mihi quidem admonitio illa non tam versibus (25–42) contineri videtur quam ipsis subsequentibus. Neque facere possum, quin valde mirer, quod Ribbeckius versus illos 42—48, quoniam antecedentes de loco suo movit, non item reiiciendos esse censuit. Illi enim cum antecedentibus arctissimo necessitatis vinculo cohaerent, id quod is praecipue intelleget, qui versus 45—48 accuratius contemplatus fuerit. In quibus cum poeta distinctis verbis assiduum pecuniae comparandae studium vituperet, et deinde versus illos adiungat:

> Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
> Tortum digna sequi potius quam ducere funem.

plane manifestum est, eos ipsos versus (26—41), quos hic extinxit Ribbeckius, antecedere non solum posse sed etiam oportere. Nam in eadem iudicandi ratione poeta ita manet, ut continuus sententiarum nexus prorsus ignorari nequeat. Quodsi demonstravimus versus (26—41) a versibus (42—48) separari non posse, patet quoque, eos omnes hic in decima epistula legitimum suum locum habere, quia Aristii allocutione nominatim (v. 44) facta cavetur, ne quis

87) cf. Wieland Prolegomena ad epistulam decimam.

in aliam epistulam eos inserat. Quae praeterea Ribbeckius [88]) attulit ad demonstrandum, quam mire omnia in sua versuum dispositione conspirarent, refellere omitto, quia et falsis propositionibus niti iam ostendimus, et nostra enarratione iam satis esse refutata putamus.

Viam vero ac rationem, qua ductus in has pervenit opiniones, paucis iam consideremus. Nam si quis tales, quales Ribbeckius in epistulis, versuum collocandorum rationes init, ei antea textum olim perturbatum, idque quibus de causis factum esse putet, demonstrandum est. Neque hoc neglexit Ribbeckius [89]), sed neminem argumenta eius probaturum esse credo. Ex confuso enim et mendoso textu, quem exhibet Gothanus codex, concludit huius codicis archetypum iam iisdem ac Gothanum ipsum vitiis affectum fuisse, cum ille exemplum accurate atque adeo inepte descriptum esse videatur [90]). Quod num verum sit, satis iam dubium est. Sane quidem Gothanus a vulgari textu saepissime abhorret, sed multi Horatii editores, ut Hauptius aliique, id inde explicaverunt, quod statuerent, hunc codicem a scriba neglegentissimo conscriptum esse. Scribae autem errores si removerentur, illius textum antiquissimum Blandinianum fere aequare. Sed eorum sententiam plane improbans Ribbeckius [91]) coniicere pergit: quomodo in Gothani codicis archetypo errores extitissent, eodem modo eos in ceterorum quoque codicum archetypum irrepere potuisse. Et postquam mathematica ratione repperisse sibi visus est, versus, qui in Gothani archetypo vel transsilirentur vel transpositi essent, quibusdam mendis exceptis, numerum novem vel simplicem vel multiplicatum semper fere explere, in eius codicis paginis novenos versus lec-

---

88) pag. 137, 138, 139.
89) pag. 99—111.
90) pag. 107.
91) pag. 109.

tos fuisse putat[92]). In ceterorum contra codicum archetypo chartas fortasse impares fuisse, in eiusque paginis vel senos versus vel septenos vel octonos vel novenos vel undenos extitisse[93]). Atque hoc modo mire mutationes suas confirmari dicit, quia versus, quos transposuerit, hos numeros vel simplices vel multiplicatos semper fere efficiant. Errores autem ita exortos esse putat: In archetypo sive heredidate a poeta relicto sive vetere eius scriptorum corpore comprehenso partim singula folia, quae aut abscissa aut nunquam coniuncta fuissent, partim compluria quoque folia suo loco mota et confusa esse, confusaque ab imperito neque exemplari fide digno, quod Horatius ipse correxisset, adiuto quodam existimatore falso ordine conglutinata esse[94]). Sed haec argumentatio tenuissimo filo deducta impeditior est et altius repetita, quam ut alicui probari possit, neque ullis aliis documentis, nisi ipsis Ribbeckii mutationibus, et ne his quidem semper, confirmatur. Atque praeterea primum quidem epistularum librum ab Horatio ipso evulgatum esse plane manifestum est. Cur fieri non potest, ut libri illius a poeta ipso editi textus, praesertim cum tunc sine dubio in omnium doctorum hominum manibus esset, in nostris quoque codicibus, quod ad summam certe attinet, salvus atque integer servatus sit?

Ad extremum autem ut clarissime eluceat, quam falsa Ribbeckii via ac ratio fuerit, ea tantum, quae iam antea constituimus, et Ribbeckius (pag. 81) ipse comprobat in memoriam reducamus: Penitus animis nostris mentibusque mandandum est, quam multa nos in hac epistolica poesi necessario lateant, atque eam ob rem hic magis quam alioquin cavendum, ne, si quid tectius et obscurius nos offendat, ad coniecturas falsas certisque documentis destitutas refugiamus.

92) pag. 108 u. 109 u. pag. 256—258.
93) pag. 109—111. 94) pag. 258 infra.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 094 682 0

Index.

Prolegomena de universo Horatii satirarum genere; pag. 1—16.
Prolegomena de universo Horatii epistularum genere; pag. 16—23.
Sextae epistulae enarratio; pag. 23—28.
Sextae epistulae explicatio; pag. 28—41.
Decimae epistulae enarratio; pag. 41—44.
Decimae epistulae explicatio; pag. 44—53.
Ribbeckii opiniones examinantur et diiudicantur; pag. 53—67.

Errata typographi.

Pag.	8	lin.	20	post „superbientis“ comma delendum est.
„	14	„	28	lege „conscriptarum“ pro „couscriptarum“.
„	15	„	19	„ „semet“ „ „seme“.
„	25	„	19	post „profert“ comma delendum est.
„	34	„	25	lege „fieri“ pro „fiieri“.
„	35	„	19	„ „interest“ pro inter est.
„	36	„	5	post „idem“ comma delendum
„	40	„	9	lege „δυοῖν“ pro „δνοῖν“.
„	42	„	15	„ „quoad“ „ „quo ad“.
„	43	„	11	„ „quanti“ „ „uquanti“.
„	47	„	15	„ „ambiguum“ pro „ambignum“.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 094 682 0